

574.

Quod benè feliciterque vertat

J E H O V A ,

D I S P U T A T I O N I S H U J U S

I N A U G U R A L I S

D e

C A M B I I S ,

Vulgo

W e c h s e l u n d W e c h s e l b r i e f e n /

T H E M A T A ,

Decreto & permissu Amplissimi in Illustri ad Albim
Academiae Jctorum Ordinis,

P R E S I D E

VIRO Magnifico, Clarissimo & Consultissimo,

D N . J E R E M I A R E U S N E R O ,

J . U . D . P R O F E S S O R E P U B L I C O , C U R I A E
P R O V I N C I A L I S & S C A B I N A T U S W I T E B .

ASSESSORE meritis: p. t. R E C T O R E ,


*Pro Licentia DOCTORALI in Utroque Jure
consequenda*

Publicae censurae subicit

N I C O L A U S S c h a f f s h a u s e n / L i v o n u s .

In Auditorio Majori d. 15. Augusti,

horis matut. & pomerid.



Typis C H R I S T I A N I T H A M , A c a d e m . T y p o g r .

M D C X X I I I .

998.

31

1623

3

40

4



P R O E M I U M.



*D*iscussurus pro ingenioli facultate Cambi-
orum materiem, tum cognitu maxime ne-
cessariam, tum per se abstrusissimam, tum
novis quotidianisq; Mercatorum inven-
tis intricatissimam, tum dubiis Dd. opini-
onibus plurimum obfuscata, testibus Do-
min. Soto lib. 6. de Just. & Jur. quæst. 8. artic. 1. Ludov. Lo-
pez tract. de contract. lib. 2. cap. 1. in pr. Joan. Baptist.
Lup. in c. naviganti, de usur. §. 2. n. 2. opera precium me
facturum arbitror, si premissa prefati unculâ, quæ quod-
dam quasi præludium, & lubentius nos ad proposita mate-
ria perducit lectionem, & cum ibi venerimus, evidentio-
rem præstat intellectum, ceu præclare sentiunt Plat. lib. 4. de
Legib. & Cajus Justin. in l. 1. D. de Orig. Jur. initia ejus,
antequam ad ipsa accedam penetrabilia, emunctius recolam,
& quo de Cambiorum genere, siue, ut antiquiori vocabulo
utar, permutationum acturus in præsentiarum sim, diluci-
dus exponam. Constat enim, & docet eruditè Aristoteles,
Peripateticorum Princeps, lib. 1. $\mu\alpha\lambda\lambda\alpha\kappa\omega\nu$ cap. 6, tria Cam-
biorum genera temporis tractu, necessitatibus humanis ac
usu exigente, ut Justin. Imp. in pr. Inst. de jur. nat. gent. &
civil. loquitur, succrevisse, mortalesve inter exerceri cœ-
pta: quorum prius ex limpidissimis Nature fontibus dima-
nans simplicitati primæ evapotissimum congruit, rerum scili-
cet cum rebus permutatio, ut puta frumenti cum vino, olei
cum lana, carnis cum ligno, &c. Atq; hoc antiquissimum es-
se, præter id, quod naturalia cæteris (artificiosis solertiq;

cūrā expolitis) antiquiora sunt, vel ex eo claret; quod Scy-
the, de quibus Strabo lib. 7. Graci, de quibus Homerus ἰδο-
σεύς lib. 9. & Ἰλιάδ. & Germani, de quibus Tacitus lib. de
morib. Germanorum, fusè scribitant, aliq; Populi ve-
tustiores majorum mores pertinacissimè observantes isthoc
diutulè usi fuerint. Alterum recentius, nec non à Natura
sincerioris regià paulisper deflectens, perfectitudinem su-
am ab hominum sortitur solertià, & rerum est pro pecu-
nià commutatio. Nam cum ad tollendum Naturæ defectum,
quæ tanquam provida genitrix thesauros suos variis pas-
sim locis disposuit, unde concinnè Poëta:

Non eadem tellus parit omnia, vitibus illa

Convenit; hæc oleis, hinc benè farra vigent.

homines commercia apprimè necessaria esse; res verò com-
mutabiles ad longinquiora loca transferri haud posse ad-
verterent, nummum veluti organon quoddam aptissimum,
quò rerum huic comportandarum difficultati occurrere-
tur, summà industrià invenerunt. Quam inventionem
alii Lydis, Herod. lib. 2. historiar. alii Saturno, Eutrop.
lib. 1. alii Iono Thessalia Regi, Lucanus.

Primus Thessaliæ Rector telluris Ionos

In formam calidæ percussit pondera massæ,

Fudit & argentum flammis, aurumq; monetâ

Fregit, & immensis coxit fornacibus ara.

alii Romanis assignant, Plin. dict. lib. 33. Romæ, inquit,
aureus numus percussus est anno Urbis DCXXVII. què
deinceps ubiq; gentium cudi & communis esse cœpit; suffra-
gante Polyd. Virgil. de rer. invent. lib. 2. cap. 20. Huic tan-
dem tertium genus, quod nunc sub rationis incudem revo-
care, ac pensiculatori disquisitionis lance trutinare fert
animus, ab humanâ sagacitate profectum successit, numo-
rum videlicet cum numis commutatio. Ut enim acutissima
inge-

ingenii acies omnes alias artes principio rudiores concin-
 niori lima levigavit: ita quoque simplicissimum numerum,
 compendium ultra inventionis primæ limites latissime ex-
 tendit. Et quanquam hoc nomine à Philosopho acriori-
 bus dictis flagelletur, atque monstri instar contra Naturam
 converso more procreati, non victum, sed questum, non
 usum, sed excessum, non vitæ necessitatem, sed pecuniæ
 augmentum insectantis, è Rerumpub. visceribus extirpari
 jubeatur, lib. I. polit. d. c. 6. & 8. attamen si pressius indolem
 ejus scrutamur, non usque adeo vitiorum macula, quas non-
 nunquam ei fucacissimorum quorundam fœneratorum ma-
 litia sordide adfricat, tenaciter adhaerent, ut elui penitus
 nequeant: ut tùm per se; tùm propter bonum finem, quem
 intendit, & ingentia commoda, quæ civili hominum socie-
 tati, jugique commerciorum exercitio exhibet; tùm propter
 grandia incrementa, quæ Regnorum gazophylaciis, Re-
 rumpub. ærariis adfert, dum per universum orbem veluti
 adlabentis relabentisve Oceani astus, statim accessione &
 fugam adfluens ac resluens, fœnerario itu redituque inambu-
 lat, tolerandum non sit. Videntur sanè exactius animo
 perlustrasse hæc omnia Sacratiss. Princeps Justinianus, &
 Jctorum antesignanus Baldus; quando ille Cambiorum
 contractum communis utilitatis propugnaculum, in edict. 9.
 de argentar. contr. c. 2. hic quasi quintum quoddam elemē-
 tum mortalibus necessarium ac conducibilem esse, verissime
 pronunciat. Nec sunt argumenta Philosophi, quibus Philoso-
 phicè nimis adversus utilissimum seculis nostris contractum
 insurgit, tantæ ponderis, quin levi brachio subverti destrui-
 que possint. Immo ipse quodammodo telis suis scutum obten-
 dit, dum quidem illud juri Naturæ repugnare arguit, quod
 rei naturalem evertit usum, (pecuniæ usus est, ut rerum sit
 mensura, c. ejiciens. 9. distinct. 88. l. I. D. de contrah. emt.

1.42.D. de fidejuss. quem evertit Cambium.) Et dein in eod. cap. 6. inter cuiusq. rei proprium & communem usum distinguit. Et si enim calcei usus primus & proprius est calceatio, sive ut calcem vel pedem tegat atq. defendat; indumenti indutio, equi equitatio, &c. Communis tamen & improprius, potest cum aliâ quavis re permutatio esse sive venditio; qui priori neutiquam reluctatur; ordinatur quippe venditio calcei ad proprium usum. Pari modo, quamvis numerorum proprius sit usus ac finis Rerum estimatio; nec non pro illis commutatio: nihilominus tamen eorum invicem variatio sive cambium non omnino absurdum, si eatenus permittatur, quatenus Rebus publicis fructuosum est atq. utile. Reliquæ ratiuncule ejusdem ferè sunt farina, eademve facilitate refelli possunt & repelli, quæ suo loco infra magis commodè enodabimus. Antequam itaque à limine longius progrediamur, Cambium exercere, sive ut explanatius dicam, lucrum pro Cambio acceptare, non esse illicitum neq. jure vetitum, intrepidè asserimus; præsertim cum ipse rerum justissimus Arbitrator illud approbare videatur Matth. 25. v. 27. Luc. 19. v. 17. & 24. eâ addita cautelâ, si legitimum modum non excedat, neque à generali mercatorum consuetudine & justitiâ commutativa equalitate exorbitet: quemadmodum paribus tibiis concinunt Dd. Hieron. à Lucâ in tract. de camb. cap. 4. n. 27. Bald. in rubr. C. de constit. pecun. n. 1. & in l. 1. C. de usur. rei jud. Jason in l. 1. C. de SS. Trinit. n. 64. Navarr. in c. naviganti, ult. ex. de usur. Alexand. conf. 61. vol. 2. Salicet. ad authent. adhæc, quæst. 11. C. de usur. Didac. Covarr. tractat. de vet. numismat. collat. c. 7. de mutat. monet. n. 3. Francisc. Marci parlam. Delphinat. decis. 839. n. 3. Johan. Nieder. de contract. mercat. c. 4. Bursat. conf. 399. vol. 4. Hieron. Gabriel. conf. 158 vol. 2. H. à Rosenhal de feud.

1001.

feud. cap. 5. conclus. 80. n. 2. Hotoman. quæst. illust. 40.
Carolus Molineus de usuris n. 44. Job. Borchold. de usur.
cap. 1. n. 16. Petr. Gregor. de usur. lib. 2. cap. 2. n. 4. Lelius
Zechius de usur. cap. 19. n. 6. Job. Coraf. ad l. 1. D. de offic.
præfect. Urb. & miscell. lib. 7. c. 10. Henning. Gæden. cons.
89. Hartman. Pist. lib. 3. quæst. 2. n. 12. Frideric. Martin.
de jure cens. cap. 3. nu. 152. Ferdinand. Vasquius contro-
vers. lib. 6. cap. 60. n. 7. Matth. Wesenb. ad tit. C. de con-
stit. pecun. n. 52. Valent. Gul. Forster. de domin. c. 8. n. 132.
aliq. propemodum infiniti. Hoc jacto firmiter fundamento
deveniendum nunc erit ad investigationem originationis
Vocabuli, qua multis intimas rerum vires aperuit, affir-
mante Forcatulo dialog. 73. in pr. non tam Grammatico-
rum more, quam Jurisconsultorum, qui summo sapè studio voces ex-
planarunt, ut clarissimè apparet ex l. unic. §. 1. D. de of-
fic. quaestor. l. 1. D. de furt. l. 1. §. 1. D. de pact. l. 51. D. ad L.
Aquil. l. 35. §. 1. D. de donat. pr. Inst. de testam. Et id ge-
nus pluribus.

T H E S I S I.

CAMBIVM nonnulli à verbo cambio, à μετεμοίωσις, quod
est, permutatio, cujus præteritum κάμψισι, κάμψισι καμψισι
ψα, græco deductum voluit.

An Vox hæc præcis Romanis ac Jurisconsultis cognita fuerit, haut con-
venit inter Interpretes. Petr. August. Morla in empor. Jur. part. 1. tit. 8.
quæst. 25. n. 37. Nicolaus de Passeribus in tractat. de privat. scriptur. lib. 3.
tit. de literis cambii, quæst. 2. n. 3. Johan. Baptist. Schwarzenhaller tract.
de stipulat. pag. 772. nu. 77. barbaram eam è Gothorum vel Longobar-
dorum fontibus derivatam, & ab Italis atque Hispanis esse rece-
ptam colligunt ex cap. 1. §. cum a. Si de investit. feud. controvers. fuerit,
cap. 1. §. Si quis Dominus, Quo tempore miles, &c. ubi Cambium permuta-
tionem significat ex gloss. & communi ibidem. Qua significatione
apud Hispanos etiamnum usurpatur, indeq; qui cambium exercet,
apud eos κάμψισορ, apud Castellanos cambiodor dicitur, teste Petro Au-
gust.

gust. Morl. dict. quest. 25. Contra verò Andr. Tiraquell. de retract. lignar. §. 30. gl. 1. n. 1. Benev. Stracha de mercatur. part. 1. nu. 64. Reinh. Budel. de re numar. lib. 1. cap. 25. num. 1. Conr Rittersh. in parat. feud. lib. 1. cap. 7. n. 14. & lib. 2. c. 3. n. 22. Cambii nomen non barbarum, sed elegans & latinum esse evincere conatur ex Prisciano, apud quem lib. 10. cap. 2. eoq; ultimo, Charisius verbum *Cambio* posuit, & Ennio lib. 10. qui *Leucatem* campfat, hoc est, permutat dixit. Quibus pulchrum subjungo exemplum Polyhistoris illius Apulei, Viri Romanæ facundia fastigium longissimè supergressi, venustulè ut omnia dicentis, in *Apol. 1. pag. mihi 137*. Tu an abeas ad agrum colendum, an ipse mutuaris operas cum vicinis tuis *cambias*, neq; scio, neq; laboro. Unde, manifestissimè elucescit errorem illos non levem errare, qui verbum hoc, *cambio*, in hoc nostro significato pro *permuto*, (Cambire aliàs priscis idem quoq; fuit, quod *iter inchoare, flectere, pugnare*, annotante Petr. Gregor. *syntagm. lib. 6. c. 1. nu. final.*) à Latinis usurpatum, obstinatè inficiantur: idq; antiquiores Romanos, si Mercurii virgulâ ex Orci sedibus hodiè evocari iis contingeret, non magis intellecturos, quàm Thebanam Sphingem, temerè effutiunt. Verum an substantiva, *Cambium* & *campfor*, à vetustioribus communi loquendi consuetudine recepta fuerint, obscurioris videtur esse ambiguitatis. Quantumvis n. in foro Romano frequentissimi fuerint *Argentarii*, *Mensularii*, ut liquidò liquet ex l. 4. 6. 8. 9. 10. D. de edend. l. 7. §. 2. & 3. l. 8. D. depositi, aliisve compluribus, in quibus fundamentum habet ac sedem suam hæc præsens *Cambiorum* tractatio, longâ serie relatis à *Rævard. lib. variar. lect. cap. 18*, *Vacun. à Vacun. lib. 1. declarat. cap. 14*, *Forner. lib. 3. select. c. 8*, *Sigon. de antiquit. jur. Rom. lib. 2. cap. 17*. *campfores* tamen non agnoverunt; nec Cicero, flos delibatus populi, suadæq; medulla, cujus in ore purissima refedit Romanæ linguæ proprietas; vel reliqui, quotquot unquam *Quirites* per scripta nitidioris eloquii splendore venustata æternitati nomina commendârunt; licet ille *argentarios*, *numularios*, *mensarios*, crebriter vocitet in *oration. pro Cæcin. pro Cluent. & in Rhetor. ad Heren.* hi aliis atq; aliis eisdem indigent nominibus, *campforum* mentionem uspiam injiciunt. Equidem cum nulla harum vocum vestigia à latialis politiei auctoribus relicta hætenus repererim, iis, qui apices quosvis minutissimos notâ perstringere censoriâ con-

consuevere, quicquid hinc emergit difficultatis, ruminandum dijudicandumq; committo. Sufficit, quod

----- habeant nova fictaq; nuper

Verba fidem,

& licetia detur verbis uti veluti numis, queis publica forma dat precium. Scitule olim Lyricorum Phoenix modulatus in lib. de Art. Poet.

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas;
Et juvenum ritu florent modò nata, vigentque.

Et paulò post:

Multa renascentur, quæ jam cecidère cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus:
Quem penes arbitrium est, & jus ac norma loquendi.

II.

Cumq; Campfores tum in latissimo juris nostri volumine, tum aliis in Romanorum cultissimis Annalibus & commentariis, non iisdem, sed variis, non paucis, sed per pluribus, veluti modò innuuntur appellationibus: haut abs re erit, singulas, quandoquidem earum ignorantia incautos plerunq; errorum cassibus implicare, ad solet, comportare ac in unum quasi fasciculum colligere. 1. dicuntur ARGENTARIII, in l. 32. D. de contrah. emt. l. 5. §. 5. D. pro Socio, ab argendo tractando. Hi majores erant negotiatores, non in permutando tantum, ut cæteri, tabernam exercentes; sed præterea numos fœnori collocabant, non tam suos, quàm aliorum, hæc fide, ut eos, qui dederant, indemnes servaturos, pro debitoribus, quos penes fœnore pecuniam deposuerant, se soluturos, reciperent. Quod Ulpianus significat, dum ait, constitutum ex argentariâ venire, l. 6. §. 3. D. de edend. Hinc apud Plautum argentarius pro fœneratore accipitur. Alciat. lib. 1. παροργ. c. 46 & lib. dispunct. 4. c. 22. 2. MENSARIII, à Sueton. Tranquill. in vitâ Augusti, c. 4. & Livio lib. 7. c. 21. & lib. 33. c. 21. 3. MENSULARII, l. 47. §. 1. D. de pact. l. 24. §. 2. D. de bon. jud. auct. possid. Firmic. lib. 3. mathes. c. 8. à mensulis, hoc est, tabulis, apud quas æris alieni solutionem faciebant. 4. NUMULARII, l. 7. §. 2. D. de positi. l. 39. D. de solutio. l. 47. §. fin. D. de pact. à numulis; quod majoris precii numis acceptis, numulos, id est, minusculam monetam per partes reddebant, aut certæ regionis pecuniam alterius regionis numismate

B

per-



permutabant. Jacob. Aleman. *de jur. monetar. consult. 8. quest. princ. 17.*
 Et hi publicam habere causam non videntur; nec rationem accepti
 expensiq; facere, ut argentarii illi & mensarii. Gul. Budæus *in. anno-*
121. ad d. l. 7. §. 1. D. de posit. 5. VENDITORES ARGENTI, l. 2. C. de cohor-
talib. lib. 12. 6. ARGENTI DISTRACTORES, l. 78. §. 4. D. de legat. 3. l. 3.
l. 19. l. 25. §. 1. D. de aur. & argent. legat. l. ult. C. de pignori. l. pennis. C. de con-
stitut. pecun. l. unic. C. Negotiat. ne milit. Regner. Sixtin. de Regalib. lib. 2.
c. 16. n. 4. Johan. Borcholt. *de pact. c. 2. in secundâ partium divisione. n. 29.*
 7. ARGENTARIÆ MENSÆ EXERCITORES, l. 4. in princip. D. de edend.
 8. MONETARIII. l. 7. C. de murilegul. & monetar. l. 1. l. 6. C. de dignit. l. 12.
 9. COACTORES. l. 40. §. fin. D. de statu lib. Horatius l. 1. sermon. saty. 6.
 à cogendis pecuniis. 10. COLLECTARIII. l. 6. C. si cert. pet. Sym-
 mach. *in epist. 28. ad Theodos.* II. TRAPEZITÆ in l. 12. §. fin. C. de cohor-
 talib. Plaut. *in curcul.* Græci enim mensam numulariam τράπεζα
 vocant. 12. ΚΕΡΜΑΤΙΣΤΑΙ, quod κέρμα (α, id est, τὰ λεπτὰ νο-
 μίσματα, tractent. Cujas. *lib. 4. observ. c. 14.* 13. COLLYBISTÆ à Col-
 lybo, quo munus sive merces (germanicè *Zuffgeldt* / *Wechselfeldt*)
 quæ pro Campio solvitur, denotatur. Estq; græca vox, quâ pro Latini
 aspraturam habent, maximè si asperis, id est, recens percussis numis
 veteres commutentur. Eberh. Speckhan. *cent. 1. quest. 68. n. 3.* Quod
 arguit & locus Divi Johannis *in Evang. c. 2. v. 15.* loquens de Christo
 templum ingresso, unde ejecit ementes & vendentes oves & boves,
 καὶ τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχευ τὸ κέρμα, καὶ τὰς τραπέζας ἀνέστρεψε,
 & argentariorum effudit numulos, & mensas subvertit. Eadem ferè
 sunt verba Divi Marci, *cap. 8. v. 15.* & *Matth. c. 21. v. 12,* ibi, καὶ τὰς τρα-
 πέζας τῶν κολλυβιστῶν κατέστρεψε. Hebr. est, מְכַרְתֵּי הַטֶּמֶל
 הַמִּנְיָהּ hoc est, & mensas mensariorum subvertit:
 mensam vocant enim תֶּמֶל. 14. δειρογνώμοισιν, δειρογνώμονες,
 à Julio Poll. *lib. 3. Onomast. c. 9.* quod pecuniam spectent, an proba sit,
 legitima, locabilis, & cujus precii. Matth. Wesenbec. *in parat. ad tit. C.*
de edend. n. 4. Nam hæc homines curiosè inquirunt. Et ut est in Plauti
 Pænulo eleganter scriptum: Licet nihil tam sit simile, quam solidus
 solido, tamen etiam distantia quæritur in auro, vultus, atas & color,
 nobilitas, literatura, gravitas, patria, atq; ad scrupulos plus quæritur
 in auro, quam in homine. Hi autem publicam habere causam non
 videntur, nec rationem accepti expensiq; facere, ut argentarii illi &

men-

1003.

mensularii. Gul. Budæus in annot. ad lib. 7. §. 2. D. depositi. 15. Vulgò
BANCA RII, Gallicè *changeurs, banquiers*. P. Gregor. de usur. lib. 2. dict.
c. 2. n. 1. Italicè *banchiere, banco di-cambii* argentaria mensa, unde *ban-*
quefistiri. argentariæ mensæ everfores, quos Galli *banqueroutiers* vo-
cant. P. Gregor. *syntagm. lib. 22. c. 9. n. 11*. Est quippe Francis *faire ban-*
querout, quod Græcis est *ἀνακόμω τὴν ἐργασίαν, μετρίως*;
Latinis, negociationem mensariam abrumpere, solum vertere,
foro cedere. Gothofr. in not. ad l. fin. C. de curat. bonis dand. Quod anti-
quitus de argentariis tantum dicebatur, quoties tabernis, quas in
foro Romano conductas habebant, cedentes, actumq; suum desc-
rentes, aliò habitatum migrabant. Senec. lib. 4. de benef. c. 39. Plaut.
in *Asinar. act. 2. scen. 4*. Salsè & ad rem bellè Satyricus, *satyra 11*.

Hi plerunq; gradus, conducta pecunia Romæ,
Et coràm dominis consumitur; inde ubi paulum
Nescio quid superest, & pallet fœnoris author,
Qui vertère solum, Bajas & ad ostia currunt.
Cedere namq; foro jam non est deterius, quàm
Æsquillas à ferventi migrare Suburra.

Cæterum neque hoc sicco pede hîc prætereundum, Campsores
communiter nuncupari, quos specialiori nomine appellitamus
(*Kipper vnd Wipper*) qui probam justamq; monetam Cambii sive
permutationis titulo acquisitam argyrocopis deferunt, vilioribus
acceptis nummis, quibus in vulgus susq; deq; sparsis ingentem cum
publicâ fraude quæstum lucrantur. Welche da gut vnd schwer Gelde
an sich wechseln / vnd dasselbe ihres Vortheils halben / andern die es in
den Stiegel bringen / vnd geringe Münz daraus machen / vmb nicht et-
nen schlechten profit oberlassen / welche sie hernacher widerumb anneh-
men / vnd vnter die Leut betrüglicher weise bringen helffen. Hi scelera-
tissimi monetarum adulteri olim flammaram exultionibus manci-
pabantur, *ex constit. Constant. Imper. in l. 2. C. de fals. mon.* cui robur no-
vissimè addidit *constitutio criminalis Carolina, art. 111*. Nostro hoc ævo,
quo omnia fatis

In pejus ruere incipiunt,
eximiis honorum titulis decorantur, maximoq; sunt in æstimo. Sed
fugiant hinc ultra Sauromatas & glaciale Oceanum: nihil quid-
quam nobis hîc loci cum istis negocii est.

B 2

III. Ven-



Ventilatâ Nominis definitione, ad Rei nunc rectâ accedimus: Et dicimus, Cambium esse contractum (a) innominatum, (b) in permutatione pecuniæ (c) cum pecuniâ æquivalenti (d) consistentem.

(a) Cambium propriè contractus interreferrî posse scrupulo omni caret, teste Baldo in l. 2. n. 2. C. de usur. rei judicat. & consil. 170. n. 2. cum ex eo ultrò citroque obligatio inter dantem & accipientem cambio pecuniam oriatur. Ex quocunq; autem negotio ultrò citroq; obligatio descendit, illud idiom contractum dici docet Ulp. in l. 19. ubi latè & deliberatè Joh. Goedd. D. de Verb. significat. (b) Nominatus vel innominatus sit, acriter Dd. inter se disceptant. Laurent. de Rudolphis in tract. de camb. in fin. P. Gregor. de usur. dict. c. 2. n. 6. Nicol. de Passeribus d. lib. 3. tit. de camb. literis. n. 6. nominatum esse concludunt. Quibus obloquuntur Laurent. de Roman. in tract. de usur. part. 3. col. 2. quest. 1. Joan. de Aman. in d. cap. ult. naviganti. sub n. 47. Colder. cons. 509. Berol. con. 194. n. 4. l. 1. Dom. Card. Tuschus, lit. C. conclus. 11. in princip. Ferdinand. Vasq. controvers. lib. 6. quest. 40. n. 6. & 9. Rota Genu. decis. 32. n. 5. & ab eo ibidem allegati, innominatum contractum esse contendentes. Nos in ancipiti hæc pugna ad horum transire castra, qui fortioribus videntur dimicare argumentis, tutius opinamur. Ratio 1. Quia in omni conventionione nominatâ duo hæc regulariter desiderantur: nomen, scilicet à lege impositum idque specificum, huic soli competens, non æquivocum, non confusum; & specialis à lege accommodata actio, unde sequatur vis ac potestas executionis, veluti communiter tradunt Interpp. ad l. in l. 7. D. de pact. & Bartol. in l. 28. C. de transact. n. 20. 21. 22. Nicol. Mozzius de contract. in genere, art. 4. n. 11. & seqq. Gomez. tom. 7. variar. resolut. cap. 8. per tot. Joh. Goedd. de contrah. stipul. cap. 1. n. 49. Sed huic nostro contractui nullum specificum nomen à ll. impositum, nec aliqua specialis accommodata actio; proinde nominatus dici hautquacquam potest. 2. Generaliter receptum est, ut quando de conventionione alicujus naturâ ambigitur, innominata magis æstimandâ sit, quam nominata. arg. l. 1. D. de æstimat. conspiranter Dd. in l. 7. D. de prescript. verb. & alibi passim: Ar. Pinell. ad rubr. l. 7. C. de rescind. vendit. part. 2. cap. 2. n. 5. Joh. Olden-

dendorp. *class. 4. act. 40. 3.* Quia ubicumq; competit actio ex præscriptis verbis, ibi non potest dici contractus nominatus. *l. 1. & 2. D. eod.* Sed ex nostro contractu nascitur ex præscriptis verbis actio, scil. conditio datâ causâ, causa non secuta. Bald. *in cap. 3. §. cum a. n. 1. Si de investit. Feud. controv.* Rutger. Roland. *de commissar. & commiss. part. 3. cap. 2. num. 6.* Ergo: Minor haud obscure ex eo convincitur, quod rebus certâ lege datis hæc competat actio. *l. 18. D. d. tit. l. 6. C. de permut.* Unde confectarium est, erroneam prorsus eorum esse sententiam, qui contractibus nominatis, cambium & præsertim emptioni venditioni, apponendum censent, quorum rationes recitat ac tuetur, Sigismund. Scaccia *tract. de commer. & camb. §. 1. quest. 4. n. 31. & seqq.* (c) Unde differt à primi generis permutatione. Non obstat, quod qui pecuniam cambio accipit, campfori frumentum aut simile quid interdum refundat. In omni enim contractu principaliter contrahentium animus & intentio, quô feratur, inspicienda. Bartol. *in l. 43. D. de contrah. emt.* Jason. *in l. 2. in fin. D. de rer. permut.* Baldus *ibid. n. 9.* Roman. *in l. 2. col. 3. D. de Verb. Obligat.* Hoc autem contrahentes inter se maximè videntur agere, ut numos cum numis cambiant, licet propter eorum defectum aut inopiam debitor frumentum aut id genus aliud nonnunquam reddat. Nam & aliâs semper actus judicatur à principali agentium intentione, *l. 11. & 40. D. de reb. cred. l. 17. D. ad SC. Vellej. l. 53. D. de furt. perpetuumq; est, ut contractus sit judicandus & denominandus secundum naturam ejus, quod in eo prævalet, l. 19. §. 13. D. de aur. & arg. legat. l. 78. §. 4. D. de legat. 3. l. 6. §. 1. D. de act. emt. l. 27. §. ult. D. de acquir. rer. dom.* Maximè cum ea quæ ex opinato sive accidenti fiunt, naturam & substantiam rei non immutent *l. generaliter 74. §. 16. D. de fideicom. lib.* Et quæ ab initio facta sunt, ex actu succedenti in facta fieri nequeant. *l. 1. §. 4. D. de adq. vel amit. possess.* Alciat. *ad l. 2. D. de reb. cred. n. 5.* (d) Hinc distat à mutuo: In quo ejusdem generis & bonitatis eodemq; in loco restituenda est pecunia, nec sufficit, si reddatur æquivalens, *in princ. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. leg. 3. D. si cert. petat.*

IV.

Discussâ breviter Rei definitione, restat, ut de divisione difficiamus: tamen si illa non sit unius generis, cum ex diversis cau-

*sis causarum figuris descendat. A Causâ enim Efficiente illa
promanat Divisio, qua Cambium aliud perhibetur Publi-
cum, aliud Privatam: à Formali, quâ dicitur aliud minu-
tum sive manuale, ratione diversorum numerorum, aliud per
litteras sive literale, intuitu diversorum locorum: & hæc
Interpp. realia (a) vel pura vocant, iis sicca (b) vel impura,
qua respectu temporis tantum considerantur, opposites.*

(a) Idcirco, quod realiter subjectum habeant & substantiam, nec
in iis consideratio mutui ulla interveniat, Ambros. de vignat. in tr. de
usur. ad cap. salubriter, n. 281. & seqq. Laurent. de Rodolph. ad idem cap.
part. 3. quest. 1. Joh. Baptist. Costa. tr. de jur. & fact. ignor. cent. 1. distinct. 24.
n. 8. Thomas de Vio tr. de camb. cap. 6. n. 6. Læi. Zech. de usur. cap. 9. n. 12.
P. August. Morla in empor. jur. part. 1. d. tit. 8. quest. 25. n. 44. (b) Propter
câ, quod subjecto careant & justitiâ, nec quicquam aliud sint, quam
usurarius contractus, alienæ appellationis fucio palliata. Bald. conf.
438. n. 11. lib. 2. Card. Thusch. dict. conclus. 11. nu. 11. Rot. Genu. decis. 37.
n. 11. Hieron. de Lucâ, in tr. de Camb. in pr. P. Gregor. de usur. d. cap. 2. n. 9.
ubi conceptis verbis bullam Pii V. Præfulis Romani, cambia licita
ab illicitis distinguentem recitat. Nicol. de Passer. de camb. liter. n. 7.
ubi duos recenset casus, in quibus cambia sicca committi secundum
allegatam modò Pii Pontificis bullam, Anno 1571. latam, ostendit.
1. est, quando quis pecuniam, putâ Florentiæ cum cambio accipit,
eandam soluturus Venetiis, confectis ad hujus rei expeditionem li-
teris, quæ ad eum locum, in quo moneta solvenda est, mitti debent.
Et quamvis verè ac realiter debitor Florentiæ duntaxat, ubi cambi-
um datum fuit, soluturus sit, conscribuntur tamen literæ ad simu-
landum contractum illum, qui dantem inter & accipientem cam-
bium celebratur. 2. Quando literæ mittuntur ad nundinas alicujus
loci, ubi debitor nec pecuniam, nec Factorem, quo cum exercere
soler mercaturam, habet, nec habere posse sperat; sed procuratorem
tantum à se constitutum eo nomine, ut pecunias ibi cum cambio
acceptas, cum recambio solvendas ad alium transmittat locum, &c.

V.

*His quidem & similibus (a) præsuppositis casibus rectè
opina-*

opitramur à Canonistis fictè & simulatè facta cambia, sicca
 arg. injusta nominari posse, non quatenus mutui (b) natu-
 ram sapiunt, & ex eo usura petuntur, sed quatenus sub hoc
 bello Cambiorum velamine & vaframento non solum usu-
 ras, quantitatem in jure definitam longissimè excedentes,
 sed usuras (c) usurarum damnosissimas ab indigentibus nu-
 mularii sapiuscule extorquent.

(a) Quando videlicet cambia cum monopolio, collusionem & dolo
 fiunt; Exempli causa, cum Mercatores coeuntes totam fori pecuni-
 am cambio accipiunt, ut foro ita restricto, pretium augeant; quo
 aucto, dant ipsi maximo cum lucro ad cambium pecunias. Vel sci-
 entes adesse homines pecuniarum summoperè indigos conspirant,
 ne quis, nisi pro tanto pretio nummos cambio exponat. Vel cum
 campfor daturus ad cambium 12000. ut pretium cambii in commo-
 dum suum auctitet, ipse prius magno sub fœnore 1000. cambio ac-
 cipit, ut ab ipso rursus alius sub eodem acceptet 12000. sicq; in uno
 damnun patitur, sentiens contra in 2000. ingens lucrum. (b) Pro mu-
 tuo enim non tam in stipulationem deduci usuras, quàm etiam justè
 exigi posse, jura civilia apertè permittunt. l. 32. D. de usur. l. 3. C. eod. No-
 vell. Leon. 62. & maximè argentariis propter ingens studium, quod
 circa publicos contractus exhibent, etiam citra stipulationem ex
 mutuatitiâ pecuniâ bestiales exigere usuras, Justin. disertè in Novell. 36.
 ubi Cujac. & Conrad. Rittershus. n. 4. & edict. 9. de argentar. contractib.
 indulget. Nec his Philosophi, Canonistarum aliorumvè, usuras soli-
 us mutui & expectati temporis intuitu petitas, procaciter contem-
 nentium & condemnantium nugamenta quidquam officiant. Non
 enim quod pecunia, tanquam res per se sterilis non possit gignere fru-
 ctus, ceu disputat accuratè Aristot. d. c. 6. & 8. lib. 1. πολιτ. Fructus enim
 alii naturales sunt, ut eum prædiorum fruges, animalium partus fru-
 ctus appellamus. l. 43. D. de evict. alii civiles, ceu mercedes locatio-
 num, operarum, servorum, vecturæ, navium & jumentorum, quas
 Icti fructuum loco esse ajunt, in l. 29. D. de hered. petit. & fructuum
 vicem obtinere, in l. 34. D. de usur. l. 38. D. de legat. 2. & tales potest pa-
 rere fructus pecunia. Quemadmodum igitur absurdum haut est, ex
 locatione Mulæ locaria petere, quamvis ea abdito quodam naturæ
 vitio

vicio inepta ad partum nunquam foetum edat: ita neutiquam abso-
num, ex pecuniâ mutuatiâ usuras lucrari, licet illa vi pariendi de-
stituta sit. Siquidem usurae non naturâ proveniant, sed jure percipi-
untur, *l. 26. D. de rei vindic.* Unde tum demum sterile scire pecuniam.
Icti ferant, quando foenore occupata non est. *l. 7. D. de usur. l. 3. §. 4.*
D. de contrar. tutel. act. Nec 2. quod ille, qui alteri pecuniam mutua-
tur, sine ullo suo labore, periculo & impendio cum alterius jacturâ
locupletetur, alienâ messem demetat, alienum sudorem, ut est apud
Hesiodum, in proprium ventrem mittat. Nihil minus; an me mihi,
quamvis in rem nullam meam operam conferam, ex eâ fructum
percipere licebit? En Dominus, qui colono inquilinove prædium
locavit, vel pecora partiaro pascenda dedit, nullum impendit la-
borem, & tamen ritè pensionem exigit, foetumve pecorum certis
portionibus cum pastore dividit. *l. 25. §. 6. D. locati. l. 8. C. de part.* So-
cius, qui solam pecuniam contulit, ex negotiatione, quam socio-
rum alter solus exercet, jure partem lucri consequitur, licet nulla
pericula subeat. *l. 29. §. 1. & 2. D. pro socio.* Neque ditescit alterius
damno; cum ille, qui pecuniam mutuo accipit, plus duplo sapicu-
lè lucretur, quam usurarum seu potius compensationis nomine
præstat. Non denique 3. quod Mutuum debeat esse gratuitum. Com-
mittitur fallacia Causæ. Non enim usurae ex mutuo debentur, sed
vel morâ vel stipulatione. Immò potest levi brachio hæc argutatio
per instantiam infringi. Feudum debet esse gratuitum: nam benefi-
cium est, *cap. un. in fin. in quib. caus. feud. amitt.* attamen fructus laude-
miales inde concessum poscere. Dicitur quippe gratuitum & be-
neficium propter exuberantiam, etiam si precii quid interveniat. Re-
liquas hinc inde subtiliter magis quàm verè collectas argutias re-
linquo tacitas, ne crambem bis coctam apposuisse videar: cum eru-
ditè & politè satis illas jam pridem, magnâ cum ipsorum laude atq;
doctissimorum hominum applausu profligarint, Carolus Molinæ-
us *tr. de usur. num. 528. 529.* & passim, Joh. Borcholt. *de usur. cap. 1. per tot.*
Matth. Coler. *de process. execut. part. 1. cap. 9. nu. 28. & mult. seqq.* Julius
Pacius *ad rubr. C. de usur. n. 12.* P. Heigius, *lib. 12. quest. 1.*
per tot. Joach. Scheplis *in prompt. jur. tit. 19. nu. 9. & seqq.* Val. Guliel.
Forster. *de domin. cap. 8. n. 98. & seqq.* Quanquam si limatius rem pensu-
tamus,

1006.

A
4

tamus, cambia nunquam, etiamsi sicca & omninò simulata sine,
 mutui naturam planitus induant. Quandoquidem in mutuo con-
 festim mutuatae sortis periculum in accipientem transit. l.2. §.1. D. si
 cert. pet. §.1. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. In cambiis verò pericu-
 lum penes dantem permanet, ut usus & consuetudo mercatoria
 cottidiè docet. (1) Petr. Greg. de Rep. lib.4. cap.7. n.11. Quæ & divi-
 no & humano jure meritò prohibita sunt, Deuter.23. vers.19.20. Exod.
 22. vers.25. Psal.15. vers.5. c.3. & 4. Ext. de Usur. l.29. D. eod. l.26. ubi Dd. in pr.
 D. de conli. ind. l. ult. ubi Bald. C. de usur. Carol. Molin. de usur. n.45. cum
 non morde ant tantum, sed ossa sæpè penitus arrodant, ac medul-
 las ex ossibus ipsis exsugant more hirudinum, pulcrè ad rem vulga-
 tus Poëtæ versiculus, Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo
 Joach. Schepht. d. tit.19. n.35. Matth. Wesenb. part.6. consil.290. n.32.
 notà etiam infamiæ contrà facienti irrogatà. l.20. C. ex quib. caus. inf.
 irrog. Marquard. Freh. de exist. & infam. lib.3. cap.20. n.1. & seqq. Hinc
 argentariorum genus perquam exosum & infame quodammodò
 fuisse apud Rom. testatur M. Varro lib.1. de re rust. potestvè non obscu-
 rè & ex eo conjici, quod Sueton. Tranquill. in vità Octav. Aug. Cæs.
 cap.4. tradit, illum videlicet à Marco Antonio & Cassio Bruto nu-
 mularii nepotem contumeliosè vocitatum. Quo de pluribus agit
 Guid. Panciroll. rer. memorab. pag.91. in verb. tabernæ mercimonio-
 rum.

VI.

Illa hoc loco quasi ordinariam sibi videtur vindicare sedem,
 non inutilis agitatio. *An Cambium in dubio presumatur rea-
 le, an v. siccum?* Prius adfirmamus cum Ferdin. Vasq. illustr. con-
 trovers. lib.6. cap.69 nu.2. Nicol. de Passeribus de privat. script. tit. de
 camb. liter. n.50. & 51. P. August. Morl. in empor. jur. part.1. tit.8. quest.
 25. n.49. Ratio 1. Quia fraus & simulatio in dubio non præsumitur.
 l.51. D. pro Socio. l.6. l.15. §.1. D. de probat. l.75. D. de judic. l.3. §. fin. & ibi
 gloss. D. de tribut. act. l.25. §. & 1. D. qui & à quib. manumitt. l.6. C. de dol.
 in. l. & ibi Bart. atq. alii, Bald. cons.389. circ. med. lib.9. Paul. Castrenf.
 consil.388. col.2. lib.1. Matth. Wesenb. part.2. consil.110. n.44. 2. Quia du-
 bius actus non debet judicari usurarius lib.14. C. de usur. Alexand. con-
 sil.221. n.6. vol.2. Bald. in l.17. in pr. D. de pact. & cons.487. lib.1. Unde
 C idem

idem in rubr. Ext. de off. jud. col. 4. scitè scriptum reliquit; Ad iudicis officium spectare, contractum in æquiore interpretari parem, per l. antep. D. pro soc. Quando enim actus referri potest ad bonum & malum, in dubio referendus ad bonum. c. 2. de R. J. in 6. Menoch. de presunt. lib. 5. cap. 2. n. 6. Hartman. Pist. lib. 2. quest. 2. n. 19. 3. Quia nemo deliquisse præsumitur; cum peccare & delinquere non sit boni viri, sed mali ac nequam, arg. l. 77. §. 25. D. de legat. 2. l. 30. C. de inoff. test. ubi vitium ingratitude & sic delictum contra patrem in filio non præsumitur, &c. At improbum fœnus exercere est delictum gravissimum, scelus maximè nefarium, atq; ab omni humanitate longissimè alienum. Jacob. Menoch. lib. 2. de arbitr. jud. quest. cas. 398. & cons. 109. in pr. E.

VII.

Publica (a) Cambia sunt, quæ à cambioribus (b) publicè creatis, ut penes solos illos bancam tenendi potestas sit, exercentur.

(a) Quæ Romæ antiquitùs in tabernis (quas à Tarquinio Prisco circa forum Latinum & ædem Castoris extractas commemorat, Dion. Halicarn. antiquit. Roman. lib. 3. Liv. lib. 7. lib. 26. & alibi, Plaut. in Curcul. act. 4. sc. 1. Juven. sat. 14. Vitruv. lib. 5. cap. 1.) exercebantur, & communiter publicæ mensæ dicebantur. Hodie in plerisq; celebrioribus emporiis ejusmodi publicas cambii, ut nunc usus loquitur, bancas invenies. (b) Quales temporibus priscis publicè eligebantur auctoritate. l. 10. §. 1. D. de edend. Donell. ad l. 1. C. eod. n. 4. Joh. Oldendorp. clas. 1. act. 8. n. 7. magnæ fidei homines, divites & copiosi, ne publica fides conflictaretur, Gul. Budæus in annot. ad d. l. 7. §. 2. D. de depositi. Quod vel ex illo Apulei libro quarto Asin. aur. evidenter patet, dicentis; Nec nos deniq; latuit Chryseros quidam numularius copiosæ pecuniæ dominus, qui metu officiorum ac munerum publicorum magnis artibus magnam dissimulabat opulentiam: Nec non exorat. Tull. pro Flacco; cum civitate, agentis, mihi res est acerrima, & conficiendarum literarum diligentissima, in qua numus commoveri nullus potest sine sex Prætoribus, Quæstoribus, quatuor mensariis, qui apud illos à populo creantur. Unde eorum calendarius (à calendis sic dictis, quod pecunias in singulas calendas fœnerari sole-

1007.

13
4

solebant, non in singulos annos, ut indicat exemplum Pauli, *in l. 40. D. de reb. cred.* Hinc Africanus *in l. 41. in pr. & l. 64. D. de legat. 3.* servum calendario praefectum dixit, qui foenerandis exigendisq; pecuniis praepositus erat. Et Scaevola *in l. 34. §. 1. & l. 41. §. 6.* calendarium exercere, pro eo, quod est ejus generis negociationem exercere, ut pecuniam colloces ac foeneres, usuris in singulas calendas, i. e. in singulos menses ad exactiorem constitutis. Donell. *ad tit. D. de usur. c. 4.* five rationum libellulis, in quibus praeter credita & debita contractus solenniter apud tabulas celebratos notare solebant, aequè fides habebatur, ac hodiernis diebus instrumentis & testationibus à Tabellione five Notario publico consignatis, uti scribitur Jcti *in l. 4. 6. 8. 9. & 10. D. de edend.* quibus suum testimonium prolixè impertit A. Gell. *Noct. attic. lib. 14. c. 2.* Hunc vetustum Graecorum & Romanorum morem sedulo observare etiamnum videntur Franci & Hispani. Apud illos enim, asserente Guid. Pap. *decis. 287. in fin.* nemini bancam Cambii tenendi potestas conceditur, nisi Regiâ auctoritate vel diplomate munito. Apud hos, teste Did. Covarruv. *de vet. numism. collat. d. cap. 7. n. 4. in fin.* nulli privatorum pecuniam per cambii literas transmitti permissum, nisi habeat in curia Principis ab eo specialem commissionem & licentiam, ne sub specie boni publici privati suos occultent dolos, inq; ipsius perniciem argentariam augeant.

IIX.

Privata Cambia sunt, quae indifferenter (a) à mercatoribus (b) exercentur.

(a) Ita enim recepra consuetudine inolevit, ut ubi ejusmodi campsores fide publicâ deputati aut Decurionum collegio electi non habentur, ibi unusquisq; pro suo libitu argentariam factitare possit: cum nemo operam suam in Rempub. conferre prohibeatur, & patriæ quoquo modo prodesse. Uti tradunt, Guid. Pap. *d. decis. 287. n. 2.* ubi subnectit, in suâ patriâ Delphin. omnes mercatores tenere pro arbitrato cambii bancas, *per glos. in l. 4. D. de edend.* Paulus Matthæi *in annotat. ad eand. decis. 787.* Did. Covarr. *d. cap. 7.* Odofred. *in l. 9. in pr. D. de edend.* (b) Mercatorum enim denominatione etiam campsores contineri asseverant, Paul. Castr. *in l. 19. ff. De instit. act. per l. un. C. Negotiat. ne mil.* Ruzg. Roland. *de commiss. & commission. libr. 4.*

C 2

cap. 19.



cap. 19. n. 13. Benev. Strach. de mercat. part. 1. n. 67. in fin. quibus opitu-
lari videtur Bartol. in l. 63. D. de legat. 3. n. 3. ubi describit mercatorem,
qui negociationem facit quaestuariam, ex qua aliquid quaeritur; At
Campsores ut plurimum ex cambiis quaestum sectantur. E.

IX.

Efflorescunt hinc subdubia quaedam quaesita, oportune, nã fal-
lor, hinc loci excutienda. I. *An foemina cambium exercere ve-*
tentur? N. tueri lubet. Ratio 1. quia fovere eandem expressus vi-
detur textus in l. 1. C. de edend. ubi Bartol. & Dd. communiter legem
illam de muliere argentaria privatas rationes conficiente conce-
ptam adstruunt. 2. Quia foemellis negociari & mercari permissum,
sicut aperte constat ex l. 23. §. 4. in verb. cum testatrix negociatrix fu-
erit. D. de aur. & arg. legat. l. 7. §. 1. D. de instit. act. in verbis; parvi refert,
quis sit institor, masculus vel foemina. E. & campsoariam exercere. Ad-
stipulatur nobis Rot. Gen. decis. 28. n. 4. & approbata ferme ubiq; lo-
corum consuetudo. Refragatur Hieron. à Luc. in tr. de camb. cap. ult.
n. 30. per l. 12. D. de edend. ubi Jctus Callistratus mulieres ab argenta-
riorum officio remotas esse decidit, cum ea opera virilis sit. Verum
si Callistrati decisionem oculatius intuemur, parum inficiationi no-
stræ, aut omninò non obest: siquidem illa de officio sive ministerio
argentariorum publicorum loquitur, quorum principalis erat ope-
ra, non tam suos actus, quàm aliorum quorumvis contrahentium,
rationes conficere, aliaq; expedire, à quibus tum propter sexus in-
firmitatem, tum propter rei familiaris periculum meritò mulieres
depelluntur. Duaren. ad tit. D. de edend.

X.

II. *An Campsorum codicillis sive rationum libellulis, cum*
hodiè non publicè designentur, sed pro suo quisq; arbitrato
rei campsoaria operam navet, fides accommodanda sit?
N. ἀπλῶς tenet gl. in l. 10. §. 1. D. de edend. & eam sequuti Alexand. in
l. 31. D. de jurejur. nu. 34. 35. Bald. in rubr. C. de fid. instrum. nu. 60. hinc
moti rationibus: 1. cessante causâ cessat effectus. c. cum cessante. de ap-
pellat. l. 54. D. de condict. indeb. l. 1. l. 4. D. de condict. fin. ca. Anton. Quett.
conf. 29. nu. 2. Causa vero quod argentariorum olim instrumentis fi-
des publica habebatur, publica erat auctoritas, l. 10. §. 1. D. de edend.

Nov.

1008.

Nov. 136. 2. Quia antiquitus mensularii non solum pecuniam pro pecuniâ, præstito æquabili lucro permutabant, sed & auctioribus seu venditionibus, quæ solenniter in publico fiebant, præerant, contractusq; ad tabulam confectos enchiridiis à Prætoribus approbatis inscribebant, uti videre est, *ex l. 88. D. de solut. oratione Tullii pro Cæcinnâ, illis verbis; Negotium Æbutio datur, scil. emendi fundum. Adest ad tabulam; licetur Æbutius, deterrentur emptores multi, partim gratiâ Cæcinnæ, partim precio. Fundus addicitur Æbutio: pecuniam argentario promittit. Quo testimonio (scil. argentarii) nunc vir optimus utitur, sibi emptum esse, quasi verò nos negemus ei addictum. Atque omnia hæc in hodiernis cessant campforibus. Ergò. Sed communiosem nos Dd. opinionem amplexi, putamus adnotationem privatam, si aliis adminiculis suffulciatur, interveniente producentis juramento ad probationem sufficere, per *tex. in l. 5. C. de probat. ubi P. Gilken. n. 28. 29. 30. 31. Quæ autem & qualia sint illa adminicula, persequitur Guido Papa decis. 441. & post eum N. Boërius, decis. 105. n. 6. Fulv. Pacian. de probat. lib. 1. cap. 63. n. 20. Nicol. de Passer. de privat. script. lib. 4. quest. 1. num. 35. Andr. Gail. lib. 2. observ. 20. nu. 3. Johan. Coraf. in l. admonendi. D. de jurejurand. n. 60. Andr. Cludi. de condict. indeb. cap. 4. n. 59. 1. est, Si Mercator sive Campfor, homo legalis, id est, integræ opinionis & probatæ vitæ fuerit, juxta not. per Bartol. in d. l. admonendi. 31. D. de jurejur. & l. nuda ratio, 26. D. de donat. n. 8. 2. Si ipse campfor manu suâ scripserit, per l. 13. C. de non num. pec. 3. Si veritatem scribere consueverit, per l. 12. D. de pign. act. l. 13. D. de usur. 4. Si contra se in eodem libello quidpiam adnotarit. l. 26. in fin. D. de pos. 5. Si ex verisimilibus circumstantiis præsumi possit veritas; ut pote habito respectu ad tempus debiti contracti ac solutionis factæ, &c. Hisce concurrentibus conditionibus statutorum quoq; Hamburgensium conditores accedente ejus, qui producit, juramento plenam fidem, mercatorum registra, ut nostrates vocant, mereri statuunt, *part. 1. Stadtbuch, tit. 30. art. 6. Variant tamen valdè Dd. hic, inq; discrepantes passim prolabantur sententias. Quidam enim prædictas circa rationum libellulos conclusiones in minimis tantum obtinere summis profitentur. Curt. Junior. consil. 122. col. 3. in fin. Aymon Gravetta de antiq. temp. part. 1. versic. vidimus & abundè. nu. 3. ubi commune hoc Dd. esse effatum ait, Johan. Cœppen decis. 46. n. 54.***

in fin. Alii consuetudinem cuiusq; loci, an receptum ibi sit, ut plenam vel semiplenam impetrent fidem mercatorum codices, attendendam esse monent. Firmian. *in tr. de gabell. part. 4. n. 4.* Æmil. Ferrer. *ad l. 7. D. de pact. nu. 63.* P. Gilken *ad l. 1. C. de edend. nu. 6.* & ab eodem per plures relati. Nonnulli consuetudinem huiusmodi non temerè admittendam censent, sed iudicis æstimo relinquendum, an fides, productis brevius habenda sit, necnè. Did. Covarr. *pract. quæst. 6. 22. n. 8.* Uldar. Zasius *lib. 2. singul. respons. c. 25. in fin.* J. Mascard. *de probat. concl. 975 n. 32.* Joh. Oldendorp. *class. 1. act. 8.* P. Aug. Morl. *in empir. jur. tit. 8. quæst. 17. nu. 8.* Joh. Baptist. Schwarzenb. *de stipul. pag. 732. nu. 25.* ubi in praxi hoc observandum præcipit. Estq; hæc controversia tam intricata, tot hinc inde Dd. (quorum catalogum diffusè per texit Benev. Strach. *de mercat. part. 2. n. 69.*) præjudiciis suffulta, ut difficillimè cognosci possit, quorum opinio ad veritatis scopum proximius collimet. Accommodari huc commodè istud Maronis potest,
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminiq; minantur,
In cælum scopuli.

Pol Palæmone opus videtur, qui exacto iudicio litem hanc, veluti ensè Gordios nodos Alexander, dissecet.

XI.

III. Num exceptio non numerata pecunia inter Campsores locum habeat? Agentium opinioni, utpote solidioribus rationum momentis subnixæ ad stipulamur. Ratio 1. quia generalitas legum, mercatorum, seu mavis numulariorum, causas nusquam excipit: cui inhærendum tenaciter, donec lege speciali exceptio probetur, *arg. l. 4. §. 1. D. de hered. inst. l. 5. D. de probat. gloss. in l. 202. D. de R. J. Bartolus in l. 13. ff. si quis caution. Jason. in l. 40. D. solut. matrim. Decius in l. 2. nu. 108. de R. J. & cons. 103. nu. 8. Menoch. cons. 72. n. 3. Vult. cons. 34. vol. 1. Marburg. n. 47.* 2. Quia hæc exceptio ex foenoratiis cautionibus, quas literas hodiè cambii nominamus, quodam, quasi fonte initium traxit, velut hoc eleganter prodit A. Alciat. *ad l. 30. n. 8. D. si cert. pet.* In primis igitur inter campsores locum obtinebit, cum id, quod quorundam favore introductum est, ad illorum, dispendium minimè retorqueri debeat, *l. 6. C. de v. c. 6. de R. J. in 6.* ubi Petr. Peckius. 3. Quia hæc exceptio summam in se continet æquitatem.

1009.

tem. §. 2. Inst. de except. l. 14. C. de non num. pecun. quæ præcipuè obser-
vatur in Mercatorum curiâ, ne illicita fiat extorsio, arg. l. 6. D. de off.
Præs. Bald. ad rubr. C. de non num. pecun. Idem in cons. 109. vol. 2. Adpro-
bant sententiam hanc Robert. Marant. in prax. aur. par. 6. de except. op-
pos. n. 35. in fin. & de testam. product. n. 53. Julius Ferretus de re naval. lib. 1.
n. 202. Fab. de Annâ, cons. 82. n. 4. Ben. Strach. de mercat. in tit. Quom. in
cau. merc. proced. nu. 9. Andr. Fachin. lib. 2. controv. c. 86. Diss. gloss. in
Novell. 4. c. 3. & communiter Dd. Jason in l. 30. D. si cert. pet. Cæs. Ur-
silienf. in addit. ad decis. 10. Matth. de Afflict. in fin. Nicol. Cal. in con-
clusaur. §. exceptio contra libellum. 12. conclus. 5. n. 20. Emanuel. Costa in
repet. l. si ex caution. C. de non num. pecun. Joh. Zang. de Except. part. 3. cap.
14. nu. 54. Rot. Gen. decis. 26. nu. 4. & 5. Matth. Wesenb. part. 1. consil. 31.
n. 23. & alii, quorum latam densamq; sylvam ibi allegat.

XII.

IV. Utrum Exceptio excussionis sive ordinis benefici-
um competat Campsoribus? Negantium votis calculum ad-
dere allubescit: 1. Propter disertam Justiniani constitutionem in
Nov. 4. cap. fin. §. ult. 2. Propter utilitatem publicam & præcipuam
fidem, quæ in bancheriis sive numulariæ mensæ exercitoribus abun-
dare debet. Bald. in l. 6. nu. 2. C. de non num. pecun. Hyppol. de Marsil.
de fidejuss. n. 8. ut facilius in depositum pecunias reperiant, gloss. in d.
§. fin. vers. moderno, de fidejuss. Bald. in l. 6. C. de non num. pec. Vicent. de
Franch. decis. 303. n. 7. Fab. de Anna cons. 82. n. 26. 3. Propter juris rigo-
rem, ad quem exceptio hæc conservandum inventa, secundum gloss.
in l. 34. §. 1. D. de evict. qui non attenditur, ubi summarie, de plano, &
de æquitate, non inspectis juris apicibus proceditur. l. 29. D. mandat.
l. 51. §. 2. D. ad L. Aquil. l. 4. C. si contra jus vel util. publ. Atq; ita conspi-
ranter utadunt, Jacob. Menoch. lib. 1. de arbitr. jud. quest. 510. n. 9. & 10.
Ant. Thesaur. decis. 52. & decis. 66. nu. 7. Nicol. Boërius decis. 221. nu. 14.
Joach. Mynsing. sent. 2. obser. 15. n. 5. Matth. Colerus de process. execut.
part. 1. cap. 10. nu. 393. Valent. Franc. de fidejuss. cap. 5. num. 396. Coedd.
de contr. stipul. cap. 9. conclus. 5. num. 97. Matth. Berlich. conclus. pra-
cticab. part. 2. conclus. 24. num. 47. ubi copiosissime plures refert,
qui uno ore omnes excussionis beneficium mereatores inter locum
habere inficiantur. Quibus reclamare videntur, Alciat. ad l. ult. D.
sic ert.

Handwritten notes on the right margin, including the number '4' and some illegible scribbles.



D. si pet. cert. n. 33. Anton. Hering. de fidejuss. part. 2. cap. 27. n. 285. And. Fachineus controvers. lib. 8. cap. 53.

XIII.

Cambium minutum sive manuale est, cum permutamus eodem in loco pretiosiores numos sive aureos, cum minutioribus, argenteis nimirum, æreis, vel aliâ ex qualibet materie constatis; aut è diverso, pro cuiusq; utilitate.

Manuale inde dictum, quod præsentè utrinq; manu pecunia numeretur. Dom. Sot. de just. & jur. lib. 6. quest. 8. art. 2. Estq; non minus Reipub. necessarium, quàm qualiscunque alia negociatio. Ut enim negociatores, quibus ex loci naturâ destituimur, ab exteris important, & superflua exportant, ad usum nostrum ac suum distribuunt: Sic etiam Collybiistæ sive Campsores nobis superflua utilibus commutant. Ad eos quippe numismata, quæ expendi nequeunt pondere imminuta, deferimus, juxta materiam valorem recipientes, justiq; ponderis numos cum aliis permutamus ad eundem nostrum necessarium usum. Petr. Gregor. lib. 2. de usur. d. cap. 2. n. 7. Fit enim sæpissimè, ut pauperculæ conditionis existat homo, cui minutuli numi ad familiares sumptus usui sint; lautioris fortunæ alius, qui argento ad vasa fabricanda opus habeat: tertius deniq; cui grandem pecuniam ad remotiora loca exportare expediat. Ast unde numulos pauper, quos minutim expendat; unde dives argenti massam, ut vasa conficiat; unde peregrè abiturus aureos numos, ne tanto sibi sit oneri vel argenti vel æris pondus, comparabunt, nisi sint in Reipub. qui varias in promptu habentes pecunias indigentibus succurrant. Et cum eæ sine sumtu & labore congeri, servari & exhiberi nequeant, haut certè iniquum erit eum, qui huic muneri suas impendit operas, justum percipere lucrum. Dignum namq; est, ut ex labore quis suo vivat, Luc. 20. vers. 7. cap. 16. ex. de præbend. & æquissimum incommoda cuiusq; commodorum compensatione remunerari; præsertim eorum, qui publico commodo suum inveniuntur commodare obsequium. caus. 12. quest. 2. cap. 56. Didac. Covarr. de veter. numism. collat. d. cap. 7. num. 4. P. August. Morl. quest. 28. num. 46. Lelius Zechius de usur. cap. 9. num. 10. Hallucinantur igitur graviter illi, qui hoc cambii genus, nescio quibus frivolis innixi ratiuncu-

1010.

vinculis, minus licitum esse fingunt, & privatis imprimis campso-
ribus nequitiam concedendum somniant. Sed irrident horum in-
eptias festivè Conrad. tract. de contract. quest. 99. concl. 5. Joh. Medin.
in suo tractat. tom. 2. tit. de rebus per usur. adq. quest. 6. in fin. Dom. Sot.
de Just. & Jur. lib. 6. quest. 10. art. 1. Frid. Mart. tractat. de jure censuum.
cap. 3. num. 153.

XIV.

*Ad fine huic est illud cambii genus, quo non ejusdem re-
gionis numi minutatim; sed diversarum provinciarum, qui
eodem sub pondere & numero diversi sunt valoris, permu-
tantur: cujus nomine num ultra sortem licite campfor lu-
crum pascere possit, haut usquequaq; expeditum videtur.*
Adfirmativam adversus Canonistarum plerorumq; inficiationem
tuebimur, his subnixi fulcris. 1. Quia in cambiis non tam æstimati-
onis vel precii, ut vocat Modestinus in l. 9. D. de aur. & arg. legat. quam
materiæ, seu ipsius massæ aut ponderis, ex quo constant numi, ra-
tio habetur. Si igitur totidem Campfor numero & pondere
reddit, quot accepit, infert cambienti nullam injuriam, etiam-
si collybi causâ non nihil exigat, siquidem hoc ipsi pro operâ &
impendiis jure competit. l. 6. §. fin. D. mandati. l. 19. §. 1. D. de donat. l. 24.
D. Quæ. in fraud. credit. cum cordant: Joh. à Medin. de reb. per usur.
acquis. quest. 6. 7. & 8. Frid. Mart. de jure censu. c. 4. n. 149. 2. Scienti non
fit fraus neq; dolus. can. 27. de R. J. in sext. l. 1. in fin. D. de act. emt. l. 1. §. 5.
D. de iniur. l. 109. D. de R. J. l. 43. C. de transact. Bart. in l. 4. §. fin. D. si quis
caut. Bald. in l. 14. C. de rei vindic. Alexand. conf. 27. nu. 1. vol. 2. Boërius
decis. 224. Qui verò sciens majoris valoris numismata cum aliis, quæ
alibi minoris sunt precii, cambit, & plus sorte reddit, is non læditur,
quando suâ voluntate læditur. Id enim portat leviter, quod portat
quisq; libenter. §. 31. ubi gl. Inst. de action. Ergò campfor ultra sortem
licite non nihil lucelli exigit. Haut enervat enunciatum nostrum,
quod numerum sive pecuniæ æstimatio publica sit, Aristotel. lib. 5.
Ethic. c. 5. ubi numos non ex materia, sed ex publica lege æstimari ait,
unde numi etymologiam ἀπὸ τῆς νόμου deducit, ὅτι ἔφύσθη, ἀλλὰ
τὸ νόμῳ ἔθη. Aristotel. libr. 5. cap. 5. Eth. precia verò cujusq; rei pu-
blica

D publica

FA
4



blica non liceat pervertere, Annæus Robert. *ver. judicat. lib. 4. cap. 28.*
Nam pecunia bifariam in precio habetur, scil. tanquam res. *l. 28. D. de usufr. l. 27. §. 4. D. de aur. & arg. legat.* & tanquam numisma signatum. *l. 1. D. de empt. vend.* Quoties igitur auri vel argenti massa velut numisma expenditur, toties publica æstimatio observanda; non è contrà. Didac. Covarruv. *vet. numis. collat. c. 7. n. 3.* Princeps enim simpliciter imponendo valorem & pretium monetæ, censetur illud imponere solum quoad primum usum, pro ut illa moneta ad emendum ordinata est activè, & non quoad secundum usum, prout ipsa tanquam merx emi potest. Ideoq; prohibitio quam facit princeps, ne illa ultra taxationem expendi possit, locum non obtinet in moneta passivè seu in secundo usu considerata. Proin velut antiquitatis permutatio non improbat, quod forsitan una res compermutata communi functione plus valebat, (æstimatio enim ratione utilitatis necessitatisvè compermutantium fiebat,) sic numerorum permutatio cum numis haut improbanda, cum in ea non tam habeatur valoris ratio, quam materiæ ex contrahentium consensu. P. Gregor. *de usur. lib. 2. cap. 2. num. 6. in fin.*

XV.

Hinc tandem emanat cambiū litterale, sive per literas (a) quod hodiè inter negotiatores in frequentissimo est usu, quo pecuniam campsor uno in loco acceptam in alio (b) solvit sive numerat, virtute litterarum (c) à se ei, à quo pecuniam prius acceperat, traditarum.

(a) Vocatur per literas, quia literis, ut decet, cum effectu perficitur ac completur, ita post alios Virgin. de Bocat. *de interd. uti possid. c. 8. n. 174.* quem refert Nicol. de Passerib. *d. lib. 3. tit. de lit. camb. n. 30.* nonnunquam etiam trajectitium sive translitium. Jq. Azor. *de inst. moral. part. 3. lib. 10. tit. de camb. c. 5. quest. 3.* (b) Et hæc efficit loci interpositio, ut justissimum reputetur. Cum enim Campsores sumtus crebriusculè non exiguos in Institores sive mandatores pecuniam in loco solutioni destinato recipientes erogent, litterarum conscribendarum fastidia & solutionis alibi faciendæ onera non detrectent, plurimisvè laboribus se implicent: quis tam erit rigidæ frontis censor, qui expensarum ratione ultra sortem capere aliquid, laborisq; merce-

14

13
4

mercedulam exigere illos non posse, lividè inficietur? Cum expen-
 sas ritè factas ubicunq; deducere, t. t. D. de impens. in reb. l. 15. cum vul-
 gat. C. de judic. proq; industriâ præmium petere. l. 40. D. locat. t. t. C. de
 oper. libert. æquissimi legum nostrarum auctores non tam permit-
 tant, quàm jubeant. Viderunt quippe laborem non vilioris esse pre-
 cii, quàm pecuniam. l. 5. §. 1. l. 29. §. 1. D. pro socio. §. 2. inst. l. 1. C. eod. im-
 mò operam & laborem longè pretiosiore nonnunquam haberi,
 quàm pecuniam, arg. text. in l. 10. §. fin. D. de pæn. Quinimò cum
 pecuniarum traductio periculosa plenum opus sit alex; timendum
 enim perpetuò, ne vel nequissimi Martis Clientes, si terrestri itinere
 transportentur; vel scelestissimi Oceani prædones, si nave transve-
 hantur, insidias auro machinentur: vel ipse Pelagi Rector Neptunus
 sedatum ventis mare exasperet, in vertices cogat, thesaurumq; ad
 Orci portum deferat: Ecquis tam ab æquitate alienus, qui lucellu-
 lum denegare periculum sollicitè suscipientibus velit? præsertim
 cum sollicitudo & cura magni æstimetur. l. 4. D. ad SC. Trebell. & pe-
 riculum precio atq; interesse par censeatur. l. 12. D. de act. empt. l. 4. 5. D.
 de navt. fœnore. quam novè Molinæus explanavit de usur. n. 98. (c) Qua-
 rum adminiculo proceres Mercatores sive amplo ære negotiantes,
 (quæ demum negotiatio majora incrementa sumsit, postquam In-
 diæ patefactæ Hispaniam inaurarunt, argentoq; obruerunt, ut scri-
 bit Navarra in d. sepus cap. naviganti sub. n. 51.) onus effugiunt sumtuo-
 sissimum & molestissimum. Quod enim olim, dum maximo cum
 incommodo pecuniam in bursâ, ut loquimur, ad nundinas deferre
 cogebantur, præsentiperagebant pecuniâ, id literis cambii hodiè si-
 ve transcriptionis, (germ. Wechselbrise | Gall. lettres de change; Ital. li-
 tere di cambu; Latin. symbola collybistica, tessera collybistica, cauti-
 ones fœneratitiæ, sive nomina. l. fin. C. de pact. conv. l. ult. C. de non num.
 pec. Unde fide nominum trajicere apud Ciceronem adversus Salusti-
 um idem est, quod per cambii literas pecuniam transmittere,) com-
 modius multò expediunt. Dom. Sot. de just. & jur. lib. 6. quest. 11.

XVI.

*Vebemens hic inter Dd. exsurgit conflictus, quot mo-
 dis cambium literale realiter sive licitè conficiatur: Alii se-
 ptem, (a) alii tres, (b) tantum constituunt. Nos cum negocia
 sua*

D 2

sua



Sua moderno tempore Mercatores perplexis (c) sapiusculè circumvolvant contractibus, experti Judicis (d) religionis, ac Mercatorum curiæ (e) bujuscmodi controversiarum, an cambia vel justa sint vel injusta astimanda, decisionem committimus.

(a) Lelius Zechius *de usur. d. c. 9. n. 11.* ubi septem modos ordine assignat, quibus cambia communiter per literas fieri adstruit. (b) Petr. August. Morl. *in emp. jur. part. 1. d. quest. 25. n. 48.* Nicol. de Passer. *de privat. script. d. quest. 8. n. 31. & seqq.* (c) Incassum itaq; laboraret, inaneq; infumeret operam, si exactè quispiam particulares quasvis species definire anniteretur, iis non valde dissimilis, qui in aëre piscari, aut jaculo in medio æquore venari moliuntur, vel etiam maris arenulas metiri, aut ejus undas numerare quærunt. Cum enim, indies novi ac singulares homines inter variè nascantur casus emergantvè, qui fieri potest, ut literis sigillatim determinantur, & certis comprehendantur numeris? veluti pulchellè Julianus Jctus scriptum reliquit *in l. 10. & 12. D. de ll.* Singularia quippe quod infinita sint, sub artem, annotante Philosopho, aut præceptionem difficillimè cadunt, *lib. 5. Eth. cap. 10.* (d) Qui tum ex cujusvis loci consuetudine, tum variis contractuum circumstantiis ac indiciis facilè colliget, num usurariam pravitatem cambium sapiat, necne? *arg. cap. 15. vers. si tamen argumentis, Extra de usur. Bald. in rubr. Extr. de offic. Jud. col. 6.* Jason. *ad l. 4. D. de edend. n. 26. 27.* Hart. Pistor. *lib. 3. quest. 2. n. 54. in fin. & n. 55. eod. ult.* Debet enim Contractus indicari secundum apparentiam, *cap. 6. de usur. c. 7. de privileg. c. 6. de donat.* Et si fuerit dubius ex contrahentium intentione (quæ in omnibus apprimè inspicienda, *l. 52. D. de Verb. Obl. l. ult. C. Quæ res pign. oblig. poss. Alexand. in l. 8. D. solut. matr. n. 5.* Bald. *conf. 417. n. 2. vol. 5.*) explicari. *cap. 5. Extr. de empt. c. 4. de pignor.* (e) In quâ præcipuè æquitatem spectandam, & ex æquo ac bono causas esse dirimendas, sexcentis penè locis Interpp. tradidère, Bart. *in l. 48. D. mandat. Alexand. & Salycet. in l. 8. D. de jud. Bald. in l. 10. C. mandat.* aliiq; innumeri, quos diffusissimè recenset Benev. Strach. *tract. de mercat. tit. Quom. in caus. merc. proced. in pr. n. 1.* Et sanè si ullo in juris articulo observantia sive consuetudo attendenda; in hoc cambiorum tractatu, utpote quæ penitus à stylo mercantili sive

1012.
FA
4

sive negotiantium statutis, tanquam cardine dependent, summo opere observanda est, ceu passim hoc de mercatoribus Genuensibus testatur in decisionibus suis Rot. Gen. Idque merito fit, cum in his, quorum jurisdictio ipsis competit, ^{legit}equè mercaturam & mercatorum professionem concernunt, proprium jus sibi constituere possint, veluti decisum clarissimè habetur ab Impp. Anastasio in l. fin. C. de jud. et. omn. jud. & Justiniano in l. 2. in fin. C. de constit. pecun. ubi gloss. & Bald. qui n. 7. ibidem & in tr. de constit. n. 23. adeò valida hujusmodi statuta à negotiatoribus condita esse adfirmat, ut superioris confirmatione nequidquam indigeant, propter jura modò allegata. Idem tenent Bart. in l. 9. D. de just. & jur. n. 6. Jas. ibid. n. 37.

XVII.

Prælibatis rudi Minervâ iis, quæ ad perspicuam terminorum intelligentiam, & intimam cambiorum naturam videntur pertinere, quæstiones nunc hinc inde ex cambiorum literalium contractu propullulantes brevissimè subjiciemus. *Et quanquam secundum ordinem quatuor (a) personarum, quæ ad complendum contractum hunc regulariter requiruntur, ut de aliquali constaret methodi (b) ratione, ea pertractanda essent; rerum tamen in sese perplexim convolutarum ambiguitas omnem videtur saniores respicere ordinem.*

(a) Una dâns, altera accipiens ad cambium pecuniam & scribens, tertia recipiens literas & solvere debens, quarta exigens pecunias cambiatas, Bald. conf. 348. vol. 1. Evenit autem non rarò, ut unus idemq; duorum vice fungatur, debitoris & creditoris, non quidem absolute; sui enim ipsius omnimodè haut quis potest esse debitor. l. 8. & l. 116. §. 1. D. de legat. 1. contraria quippe in uno eodemq; subiecto nunquam simul subsistunt, arg. l. 15 D. de jurisd. Aristot. in top. sed diversis respectibus. Unde bellè Baldus in l. 70. D. de acquir. hered. ait, quod ordo, qui in diversis est personis, in eadem sit, in quâ diversa concurrunt jura. Quod idem Jason crassius exprimit in l. 15. D. si cert. pet. col. 2. quando, inquit, plura concurrunt jura in unâ personâ, perinde est, ac si essent duæ; velut hujus sententiæ argumenta ex l. 3. & 4. D. de adopt. l. 26. C. de admin. st. tutor. §. 4. Inst. de troff. test. aliisvè similibus, adducit plura Eberhard. à Widelburg. top. legal.

loc. à tanquam. nu. 11. & seqq. (b) Nihil enim in rei literariae tractatione methodo, (quam animam & velut substantiam rerum enucleandarum esse plato perhibet in *Georg.*) præclarius, nihil illustrius, nihil utilius. Quandoquidem ea accurratè observata, tum ad rerum, quæ tractantur, cognitionem & intellectum cum primis conducit; tum memoriam, quæ aloquin debilis est ac infirma, l. 44. in pr. D. de acquir. possess. plurimum juvat, teste Baldo in proem. Digest. n. 1. quando infit; per ordinem intellectæ res magis delectant animos, mentes magis nutriunt, sensus magis illuminant, & memoriam reddunt clariorem. Id quod etiam Augustiss. Princeps Justin. sentire v. detur; perperam, inquiens, effuseq; posita, si ad competentem veniunt ordinem, & benè disponuntur, aliæ propemodùm adparent, speciosæ pro turpibus, ornatae pro incultis, articulatae distinctæq; pro incompositis prius & confusis. Nov. 31. in pr.

XIIX.

Illam autem primitus nobis obviam operosa procedit enodanda difficultas. *Deposuit Lipsiæ Sempronius apud Campforem Titium pecuniam expeditis Cambii literis, ut illa sibi Hamburgi per Mævium reddatur; antequam vero solvit Hamburgi Mævius, cedit foro Titius sive negociationem numulariam rumpit, quo scito abnuvit solvere Mævius; utrum ex his de debito luendo compellare Sempronius debeat?* Per distinctionis semitam in hoc bivio progrediendum arbitror: aut Mævius acceptavit literas, aut non acceptavit: si acceptavit, & continuo voluntatis contrariæ testationem non interposuit, dubium omninò nullum est, quin ad solutionem teneatur. Ratio 1. quod semel approbavit, recusare amplius non potest. l. 9. D. de negoci. gest. nimis enim indignum esse judicamus (inquit Justin. Imp. in l. 13. C. de nonnum. pecun.) quod suâ quisq; voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioq; proprio resistere. Hinc nihil à fide humanâ tam alienum, quam obloqui iis & obniti, quæ semel placuere. l. 1. D. de pact. l. 1. de const. pecun. Hartm. Pistor. lib. 1. quest. 14. u. 17. & lib. 2. quest. 4. n. 21. Jacob. Thoming. decis. 13. n. 33. Frid. Bruckm. cons. 1. n. 3. & cons. 5. n. 1. & c. Robert. Marant. in aur. prax part. 6. de test. product. n. 21. 2. Quia literas Cambii oblatas recipiens, legens, nec tradi-

tradicens, agnovisse debitorem se ejus intelligitur summæ, quæ literis continetur. *tex. est in l. 16. D. ad SC. Macedon. junct. l. 8. §. 1. D. de procurat. Qui enim expressè non reprobatur, probare videatur. l. 1. §. 5. D. de exercit. act. l. 1. D. quand. sit appell. l. 10. §. 2. D. de instit. act.* Sic notat. Bart. *in l. 24. n. 2. D. de constit. pecun. & l. 12. in pr. D. rem. rat. hab.* Et consuluerunt Decian. *consil. 109. n. 17. lib. 2.* Alexand. *consil. 78. lib. 1.* quibus accedit Bursat. *consil. 39. n. 1. vol. 1.* deciduntq; ita Card. Tusch. *lit. C. conclus. 22. n. 2.* Vincent. de Franch. *decis. Neapolit. 303. n. 2.* Menoch. *de arbitr. Jud. quest. lib. 2. cap. 21. & de presunt. lib. 3. cap. 63.* Flavius Pacian. *de probat. lib. 1. cap. 29. nu. 29.* Joh. Coraf. *ad l. admonendi, 31. D. de jurej. Cepoll. cautel. 9. num. 1.* ubi inquit, quod Mereator recipiens literas Cambii, easq; lectas ponens inter alias, puta in Filcia, nec contradicens, acceptasse videatur, & ad contenta in illis se obligasse, nec postmodum poenitere eum posse, neq; per consequens in illis contenta recusare. Rot. Gen. *decis. 135. nu. 2.* Joh. Baptist. Schwarzenhaler / *de stip. p. 18. 373. n. 81.* Jacob. Schult. *quest. pract. 40. n. 19.* Diff. Fab. de Annâ, *cons. 82. n. 11. & seqq.* Si verò non acceptaverit, sed confestim contradixerit, recurrendum ad Titium scribentem, qui tacitâ se conditione censetur obligasse ad restitutionem pecuniæ Cambio acceptæ, eo videlicet casu, quo literæ non acceptarentur. Ea siquidem contractus hujus natura est, ut talis conditio tacitè insit, nec ab obligatione debitor prius liberetur, nisi acceptatis demum ab eo, qui solvere debet literis, prout tenet Bald. *in l. 6. C. de bon. auth. Jud. possid. & consil. 348.* Salycet *in d. l. 16. ad SC. Maced. inq.* horum concedens sententiam Rota. Gen. *decis. 4. n. 7. & 8.* Observandum hîc acceptationem literarum cambii fieri trifariam: 1. Per expressa verba, de quibus constet per scripturam extensam, nempe per publicum instrumentum, vel per scripturam propriæ manus. 2. Per expressa quidem verba, sed sine scriptura, ideo probatur per testes, quam probationem, nullâ excitatione difficultate admittit consilium Neapolit. ut refert Vincent. de Franch. *decis. 303. n. 5.* 3. Per tacitam receptionem & retentionem literarum. Paris. *cons. 5. n. 206. lib. 4.* Rot. Gemmenf. *decis. 133. n. 2.*

XIX.

Expeditæ quæstioni proxima hæc perplexitas: *Danti Cambio pecuniam expedit Campsor literas ad Sempronium, cui solven-*

1013.

17
4



solvendi munus mandat, deferendas, quas quidem ac-
ceptat Sempronius, sed ante solutionem solum vertit, sive,
ut pinguius loquar, bancam ruptam facit; an ad scriben-
tem ille, qui dedit pecuniam, habeat regressum? Inficianti-
 um opinionem ad veritatis scopum propius pertingere opinor. Ra-
 tio 1. quia satisfactum ei videtur, dum Sempronii secutus est fidem,
 & debitorem delegatum admisit. l. 26. §. 2. D. mandat. l. fin. C. ad L. Fal-
 cid. sibi imputaturus, quod non idoneum magis elegerit, l. 1. §. 11. D.
 de separat. l. 10. D. qui satisd. cog. l. 3. D. de fidejuss. 2. Quia novatio taci-
 tè facta videtur ob permutationem debitoris & loci, Coras. ad l. admo-
 nendi. 31. n. 68. in fin. D. de jurej. Ant. Fab. conjectur. lib. 3. cap. 3. Atq; ita
 in proposito facti casu decidunt, Bart. ad l. 15. D. si cert. pet. n. 19. Bald.
 in l. 6. C. de bon. jud. auth. possid. & in l. 2. C. de execut. rei. judic. Mascard.
 concl. 989. n. 8. Matth. de Afflict. decis. Neapol. 353. ubi n. 4. dissentienti-
 um Dd. rationes recitat, de iis judicium suum suspendens. Alexand.
 Raudens. decis. Pisan. 4. n. 108. Robert. Marant. prax. aur. d. part. 6. de test.
 produc. nu. 49. P. de Urbaldis tr. de duob. fratrib. part. 8. quest. 33. Sebast.
 Medic. tr. de fortuit. cas. part. 2. quest. 10. nu. 79. Quam tamen decisio-
 nem hos inter cancellos coarctamus; nisi scribens sive mandator,
 expressè promiserit, se facturum vel curaturum, ut danti certò se-
 veretur pecunia; hoc namq; casu haut connumerabitur inter credi-
 tores fugientis, sed scribentis, cum per pactum expressum tutum se
 reddiderit, dummodò literas commutatorias scribenti restituat, arg.
 l. 2. C. de condict. ex leg. Vel communis observantia contrariam senten-
 tiam suaserit; velut de consuetudine mercatorum Genuensium per-
 hibet Rot. Gen. decis. 2. n. 41. decis. 8. n. 17. & 18.

XX.

Proximitatis nexu adharet superioribus vel hæc disquisitio;
Titius debet Francisco 100. flor. quos Francis. Sejo manda-
tario suo solvi jubet in nundinis Lipsensibus, ordinans ut di-
ctos 100. florenos per viam cambii sibi Sejus remittat; Sejus
remittit juxta ordinem sibi datum à Francisco, dando 100.
illos fl. Antonio ad cambium: evenit, interim ut Antonius
rem decoquat, ambigitur cujus damno cedat hæc decoctio.
 Distinctionis fœdere dissidium hoc commodè tolli posse reor. Aut
 enim

1019.

10
1
4

enim Franciscus mandavit Sejo, ut remitteret per suas literas supra se, id est, periculo ipsius Seji, & hoc casu spectat procul dubio ad Sejum periculum propter expressam conventionem in literis mandatoris contentam. Aut mandavit simpliciter, ut per cambii viam remitteret, & hoc casu videndum rursus, num imminens Antonii decoctione latuerit, ita ut Argus ipse decipi faciliter potuisset; an vero de ea sinistra homines inter suspicio orta fuerit, in tantum, ut nemo inculpatae diligentiae huic Antonio pecunias cambio dedisset. Illo casu periculum ad Sejum pertinere, cum in lata culpa versatus fuerit, quis non cernit? Si enim debitor pupilli solvendo tutori, quem scit postulatum suspectum, non liberatur *l. Quod si 14. §. 1. D. de solut.* Quomodo ille qui decoctioni proximo sciens pecuniam cambio obtulit liberabitur? Nam qui scienter & consulto se decipi passus est; suae hoc acceptum ferat socordiae; non enim meretur beneficium legis, qui ipse sibi volens necessitatem imposuit, ut effatur Ulpian. *in l. 7. §. 1. D. Qui satisd. cogu.* Hoc casu in ipsum Franciscum, qui simplicem dedit ordinem vergere damnum, manifestissimum est, cum id Sejus fecerit, quod Franciscus ipse probabiliter facere debuisset, & bona fide, ceu mandatum fuerat, solverit; *arg. l. Ejus 41. D. si cert. petat. l. 2. §. 2. D. de solut.*

XXI.

Succedit alia anceps magis dubitatio. *Depono aureos centum apud Titium, campforem, eosve Sempronio creditori meo absenti solvere jubeo. Titius adsignat centum illos ad partitam Sempronii, ut negotiantibus fandi mos est, numquid revocare mandatum potero, & inhibere postea, ne Titius solvat?* Negativam tum juris rationi, tum stylo mercatorio consonam magis putamus. Ratio 1. quia nemini confessioni suae temere obviare licet, *l. 20. §. 1. D. de donat. l. penult. C. de pact. praesertim a parte acceptatae.* Bald. *in l. Gallus. 29. §. 1. D. de lib. & post. Jas. in l. 7. n. 3. C. de jur. & fact. ignor.* Decius *in l. unic. n. 8. C. de error. calcul.* Tiraquell. *de utroq. tetr. tit. 1. §. 1. gl. 5. n. 16.* 2. Nec mandatum re non amplius integra, aut ubi praesudicium alteri generatur, revocare. *l. 8. §. 6. D. mandat. §. 9. Inst. eod. l. 6. D. de Jurisdic. l. 16. D. de procur. l. 1. §. 2. ubi Bart. D. quod jussu.* At praesenti in casu res amplius integra hanc est,

E neq;

Handwritten scribbles and marks at the bottom right of the page.



neq; sine campforis præjudicio mandati revocatio fit. Ergo nequaquam est licita. Postquam enim Titius se debitorem Sempronii in suâ APOCHÂ subscripsit, multum ejus interest, ne postmodum nomen inde debeat: siquidem Campfores in suâ scripturâ stabiles esse convenit, & constantes. Petr. Bimius *conf. 50. n. 87.* Putcus *decis. 126. n. 3. lib. 3.* Nicol. de Passerib. *d. lib. 3. de camb. liter. n. 57. & seqq.*

XXII.

Affinitate junctum est superiori hoc quæsitum: *An Campfor literas ab eo acceptatas, cui directæ fuerunt, ritè revocare queat?* Distinctionis fulcro innituntur Dd. quod & nos ceu sacram quandam anchoram arripimus: Aut enim contextus illarum literarum verbis est conceptus dispositivis, aut enunciativis. Si verba sint dispositiva, & materia patiatur subjecta, exempli causâ; quando Campfor pro alio soluturum se constituit, obligatione in alterius personâ jam contractâ, ceu videre est ex casu *l. ult. D. de oblig. & act. & l. 24. ubi Bart. pulcrè in pr. D. deposit. obligationem adeò firmam inducunt, quemadmodum docent Bald. in rubr. C. de const. pecun. n. 15. per tex. in d. l. 24. junctâ l. 26. D. allegat. tit. & hujus in hærentes vestigiis Hyppol. de Marfil. in rubr. C. de probat. n. 305. Joseph. Mascard. conclus. 999. n. 1. Robert. Marant. in prax. aur. dict. part. 6. de test. product. n. 46. ut priusquam solutum fit, quod iisdem inscriptum est, ne utiquam revocari possint. Bald. in tr. de constit. n. 14. Jason. in d. l. admonendi. n. 155. C. de jurejur. Curt. Junior. *conf. 132. nu. 7. & 8.* P. Beneintend. *decis. Bonon. 58.* Si verò Enunciativa fuerint, probatio saltem quædam vel potius demonstratio ex iis infertur. *d. l. 26. §. fin. D. deposit. l. ult. de inst. act.* Nicol. Boër. *decis. 333. n. 8.* Joh. Baptist. Schwarzenhater *de stipulat. pag. 772. n. 79.* Joh. Sichard. *ad l. optimam, penult. C. de contrah. stipul. nu. 4.* quo casu simplicis mandati instar haut dubiè revocari possunt, *per not. in l. 27. D. de constit. pecun. Bald. d. rubr. C. de constit. pecun. n. 16.* Jason. *in d. l. admonendi. n. 52.* P. Bimius *conf. 50. n. 48.* Benev. Strach. *de asscur. gl. 11. nu. 4.* Rot. Genu. *decis. 10. n. 14.* Cujus enim est mandati legem dare, ejus & revocare, *l. 12. D. de re judic. cujusvè in favorem, contrahitur, ei suo favori renunciare integrum est. l. penult. C. de pact. Matth. Wesenb. in parat. ad tit. D. mandat. n. 9.* Conspirat cum vulgatâ hâc*

XXIII.

Pulchella quidem, sed perplexa disputatio est, quæ se nobis hoc loco offert. *Paulus Francofurti dat Pompejo 1000. Joachimicos, ut eorundem valorem faciat solvi Cajo Lubeca; Pompejus, ut moris est, scribit traditve Paulo literas apertas, Cajo Lubeca à Julio solvendas. Paulus literis acceptis, mittit eas Lubecam ad Cajum, qui corrumpens & falsificans literarum notulas, exigit à Julio majorem pecuniarum summam, puta 2000. Joach. efformando ex caractere Arithmetico, 1. nu. 2. Queritur, in quem redundet hoc damnum? An in Julium, quod plus solverit; an in Pompejum, quod non caute & crasse literas pinxerit; an vero in Paulum, quod malum elegerit virum ad exigendum pecuniarias. Distinctionis denuò limam arripimus; aut enim falsificatio seu literarum corruptio, ita fuit patens evidensque, ut à quovis sedulo ac perspicuo campfore cognosci haut difficulter potuisset; & hoc casu meritò ad Julium malè solventem periculum spectabit; Ratio, quia solvendo literas corruptas & de falso suspectas in culpa fuit: sua vero unicuique culpa, ut docet tritissima Juris regula, non etiam aliis nocere debet. Aut fuit ita latens & occulta, ut ne à perito quidem & diligentissimo numularario animadverti potuisset, quo casu tam à Pompejo, qui scripsit, quam à Paulo, qui credidit, cum ab omni culpa immunis sit, rectissimè liberatur, consulente sic Angel. *consil. 370. sub. n. 1. & 2.* Pompejum vero scribentem propterea liberatum, & neutiquam teneri autumo, quod Paulus creditor literas eas habuerit apertas, iisvè adqueverit, cum potius contradicendo, literas characteribus pinguioribus, qui radi & variari non possent, conscriptas efflagitare debuisset. Æquum enim est unumquemque suis negotiis sedulo invigilare, & circa operationem suam haut negligentem se habere *l. 6. §. 14. D. de excus. tutor. l. 4. D. de off. Presid.* Concludendum itaque omne hinc emergens damnum creditorem Paulum solum concernere; ita tamen ut cessà sibi actione furtiva à Julio contra Cajum habeat regressum.*

Elegans est usuq; forensi frequentissima & hæc variatio; *Nunquam Sejus cambii literas acceptans, & supra protestum, ut ajunt, pro literarum honore solvens, certiores eam de re protinus Titium scribentem facere teneatur; Aut si id neglexerit, mandati actione conveniri queat?* *N. herbam porrigo.* Ratio
 1. Quia ejus est providè studium adhibere, & tum personæ, tum rei conditionem gnaviter explorare, cujus potissimum res agitur, sive cujus principaliter interest, *arg. l. 9. ubi Decius, Cognosus, & alii, D. de R. J. l. un. §. 5. ibi, liberum hominem adhibere statueret debuit de eo, qualis esset, D. Furt. advers. naut.* At Titii scribentis sive tractantis ut vulgò fertur, facientis potissimum interest, scire quo ordine facta sit, mercatorio stylo sic exigente. Ergo ejus erit investigare. *Rot. Genu. decis. 23. n. 19. & passim.* 2. Paria sunt scire, vel diligenter inquirendo notitiam consequi posse. *l. penult. D. ad SC. Macedon. l. 9. §. 2. D. de jur. & fact. ignor. l. 2. §. 2. ibi, potuit enim ea nota habere. D. de edil. edict. l. 11. ibi, si potuit suspicari justâ seil. ratione motus. D. de posit.* At Titius sciscitando notitiam consequi faciliter potest. Ergo scit. Verum qui sciens damnum incurrit, suæ id somnolentiæ expensum ferat, sibiq; & gravi dolore & rerum suarum jacturâ occini notum illud cunctis & familiare dictum, haut gravatim audiat; Disce cautius mercari. *Franc. ad d. l. 19. D. de R. J.* Fas enim est remissioris fœcordiæ vitium ei duntaxat non imputari, qui omninò ignorat, vel ignorare potest, vel deniq; justæ ignorationis causam liquidis probationibus ostendere paratus est. *l. 8. D. de admn. tutor. l. 5. C. de peric. tut.* 3. Mandati actio tunc competit, cum ejus, qui mandavit, interesse cœperit. *l. 8. §. 6. ff. mand. Cujac. lib. 27. obs. 29.* Sed Titii scribentis hoc in casu interesse non incipit. Ergo Contra Sejum mandati actio haut quacquam competit. Minor inde constat, quod interesse mandantis non incipiat, nisi approbato ab eo mandato, cui injungitur; siquidem unicuiq; liberum est mandatum suscipere. *l. 22. §. fin. D. cod. l. 17. D. commod. Cic. pro Rosc. Amarin. P. Surdus, decis. 304. n. 1, nunquam autem nisi utriusq; consensu perficitur. l. 1. D. mand.* Titius vero cum protestatione pro literarum honore, repudiato debitore delegato, nomine ipsius principalis sive scribentis Titii solvens non approbat
 man-

mandatum. E. interesse Titii non incipit. Minoris probatio rursus
ex eo manifesta redditur, quod quoadam cum declaratione & solen-
nitate solvens non ut mandatarius, sed velut negotiorum gestor sol-
vat: Qui autem non mandatarii animo intervenit, sed studii solum
causâ defert officium, mandati non tenetur. *l. 6. §. 1. l. 10. §. 7. D. man-*
dat. Non relevat contrariam opinionem, *l. 22. §. 2. D. mandat. l. 27.*
§. 2. D. eod. ubi Paulus & Sejus J. C. tradunt illum, qui mandatum
alterius explere aut nequit, aut renuit, mandatori illic id nunciare
debere, ut is, si velit, alterius operâ utatur: quod si, cum posset,
nunciare cessaverit, quanti mandatoris interfit, teneri. Nam in
harum legum casibus præsupponitur susceptum fuisse à mandatario
mandatum, quin imò negotium etiam coeptum geri, quod procul
dubio consummari oportet, *l. 6. §. 1. l. 8. §. 4. l. 22. in fin. D. mandat. l. 4.*
l. 11. C. eod. cum promissum nullo modo descri debeat officium. *d. l.*
27. §. 2. ibid. Nec 2. quod Titius, si maturè de ordine suo non exe-
cuto, & solutione super protestum factâ, deq; non acceptato debi-
tore delegato, significatum sibi fuisset, vel suum confestim debito-
rem appellare, vel alio quocunq; modo de indemnitate consulere,
sibi potuisset. Jura enim vigilantibus subveniunt. *l. 6. §. 7. l. 24. in fin.*
D. que in fraud. cred. l. 6. ex quibus ca. maj. in integr. neq; meretur excu-
sationem, qui cum negociari cautius potuisset, in damnum incidit.
l. 2. C. de furt.

XXV.

Pertinet huc illa quoque accuratori indagine non indigna
disceptatio; *An mensis vel diei omissio vitiet cambii literas?*
N. Ratio, quia quod non est de substantia aut solennitate actus, il-
lud omissum aut integre non interpositum actum ipsum haut vitiat
textus est in *l. 1. in pr. C. de rei. uxor. act. gloss. in l. 20. §. mulier 6. D. qui testam.*
fac. poss. Roman. in l. vinum 22. n. 8. D. si cert. petat. Jason pulerè *ibidem.*
num. 33. & consil. 138. nu. 6. vol. 1. Unde is, qui cambio accipit literas vè
scribit, si postmodum cum protestatione revertantur, & earum in
judicio petatur executio, eò, quod appositam non habent diem vel
mensē, recusare solutionem hautquaquam potest. Similiter nec
ille, cui hujuscemodi literarum mandata est in nundinis solutio,
hoc prætextu solutionis, onus evitabit. Sed si eas non acceptaverit,
poterunt cum protestatione redire, non secus, ac si in eis tempus

E 3

omni

iorb.

17

4

2
3
4
5



omni ex parte esset expressum. Quippè dies, mensis, annus, locus & similia, requiruntur & inferuntur literis, non ut res gesta aut contracta, dicatur ritè & rectè gesta; sed ut rei saltem gestæ probetur veritas. *arg. l. 5. C. de transact. Sigism. Scacc. de contract. & commerc. §. 1. gl. 1.*

XXVI.

Resultat hinc non levis alteratio; *An mandatarius si mandans vel literas scribens fortè in adsignatione diei aut mensis errorem commiserit, tutò in loco transcripto solvere possit & debeat?* Aff. Ratio, 1. Quia errorem, quem mandans ad subterfugiendam debiti solutionem allegare nequit, eundem neque potest mandatarius; cum hic illius repræsenteret personam: sed errorem diei perperam appositi ad evitandam solutionem mandans sive scribens allegare nequit: quia quod ad scribentem attinet, tempus non est de substantia actus neque de solennitate scripturæ; Ergò nec mandatarius. 2. Quia sufficit evidentiam rei alioquovis modo ostendere, erroremq; detegere, ut scribit Parisius *consil. 89. n. 38. lib. 1.* Detecto autem errore, debet attendi veritas, quæ gestorum erroribus vitari neutiquam potest. *l. Illicitas 6. §. 1. D. de off. Præsid.* quæque semper, quandocunq; appareat, virescit. *Rot. Avinion. decis. 1. n. 6. Baldus consil. 307. n. 1. lib. 5.*

XXVII.

Advolat nobis hic ventilanda & illa quotidiana quæstio: *An Cambii literis casu in itinere amissis, pecuniam in illis contentam ab argentario amittens repetere possit?* A receptissimâ Dd. assertionem divortium facere nulla me prægnans urget ratio. Id namq; certissimum est, quod illa, quæ literis explicantur, suum sortiri debent effectum: illum verò nunquam aut difficillimè consequuntur, nisi literis ei, ad quem mittuntur, oblatis, *arg. l. 38. in pr. D. de acquir. possess.* Epistola enim mihi missa non erit mea, antequam mihi reddita fuerit. *l. 65. in pr. D. de acquir. rer. dom.* Meritò igitur, cum literæ, antequam ad mandatarii deveniant manus, perditæ & suo consequenter effectui destitutæ fuerint, pro repetitione datæ pecuniæ contra scribentem agere potest, *arg. l. chyrographus. 57. ibi,* aut ad novationem, id est, novam promissionem faciendam, &c.

D. de

1017.

D. de administ. & peric. tut. ita tamen, si cautionem præstiterit idoneam de indemnitate, ne forsitan super literis ab alio quovis repertis solutio in loco transcripto præmaturè fiat, atq; sic campfor idem bis solvere teneatur. Bald. in l. 24. C. de fideicommiss. Jason. in repet. sepius allegat. l. admonendi. D. de jurejur. nu. 153. ubi majoris corroborationis ergò adducit textum notabilem in l. 84. §. 7. D. de legat. 1. Quorum sub clypeis delitescunt Bursat. consil. 39. nu. 12. And. Gail. lib. 2. observ. 37. n. 8. Ant de Gammâ decis. Lusit. 336. n. 1. Vincent. de Franch. decis. Neapol. 498. n. 2. Petr. de Beneintend. decis. Bonon. 58. ubi ita cottidiè inter Genuenses mercatores practicum observâsse se testatur. Fulv. Pacian. de probat. lib. 1. cap. 63. nu. 139. Bernhard. Gravæus prædic. conclus. lib. 2. conclus. 37. Joh. Baptist. Schwarzenthal. tract. de stipul. pag. 772. n. 79. Joseph. Mascard. de probat. conclus. 999. num. 3. ubi post Bald. & Cottam. in memorabilibus, hanc subjungit cautelam, nisi simulatè & datâ operâ amissæ fuerint literæ. Simulatio enim deceptioni & fraudi æquiparatur; fraus vero & dolus neminem relevare debent. l. 63. §. 7. D. pro Socio. l. 1. D. de dol. mal. t. t. D. de dol. mal. & met. except. glos. in l. 36. D. ad municip. cap. 16. & 20. Extr. de rescript. A doli autem suspicione si juramento interposito sese liberet, fidem ei denegandam non esse arbitror, per l. fin. C. de fid. instrum. l. 2. C. de condit. ex legat. R. Budel. de re num. cap. 25. n. 11.

XXIIX.

Suboritur alia etiam tum trita tum intricata alteratio. Tullius numerat Noribergæ Francisco Campsori 500. fl. qui conscriptis protinus literis, detractâ provisione suâ, eos Romæ à Petro reddendos Marco constituit. Tullius acceptas literas, quemadmodum moris est, includit epistola, quam vocant d. aviso, Marco directæ, ut dictos 500. fl. exigat, eamvè in domum publici Tabellionis projicit. Intercipitur illa in itinere ab ignoto, qui simulato Marci nomine 500. fl. à Petro repetit. Tullius ignorans literas à Petro esse solutas, admonitus à Marco se nullas habuisse cambii literas, mittit huic secundas: Marcus acceptis secundis literis compellat Petrum de solutione, qui respondet, se jam dudum solvisse; queritur.

ritur quisnam horum in culpa sit, & ad damni præstationem teneatur? Ut paucissimis me ex hisce cassibus extricem, ajo Petrum duntaxat in culpâ esse ac teneri; Eò 1. quod mandati excesserit fines, & falso creditori solverit. Solvens n. alii, quam vero creditori, nunquam liberatur. *l. si ego 24. D. de negot. gest. l. cum quis. 38. §. 1. D. de solut.* Joan. P. Surd. *decis. 229. n. 1.* Unde nec ille qui falso procuratori solvit liberatur. *l. falsus procurator. 19. C. de furt. 2.* Quod utile Francisci negotium non gesserit, nec eâ usus fuerit diligentiam, quam in propria forsitan re adhibuisset. Cum enim Mercatores sint industrii, adque rem attentissimi, ac sciant, aut scire debeant, hujusmodi casus haut rarò evenire, ut ad alienas literæ deveniant manus, debebat gnaviter inquisivisse, num iste, qui offerebat literas, verus esset Marcus. Quod cum fœcorditer neglexerit, meritò ipsi impingitur culpa, meritasq; negligentiam luit pœnas. Non obstrepit traditioni nostræ; quod peregrè adveniens, asserensq; se procuratorem, & docens de mandato, debeat admitti ac recipi, quamvis non doceat de identitate personæ suæ, uti annotant Bald. *in l. 22. sub. n. 5. in fin. C. de Episcop. & Cler. ibidemq; Cynus, & in l. 65. D. de procurat.* quem sequitur Boër. *decis. 154. n. 1. 2. & 3.* Mandatum enim ad exigendum pecunias longè majoris est præjudicii, damniq; minus reparabilis, quam mandatum ad litas; Idcirco cautius in illius quam hujus est admissione procedendum. Sigil. Scacc. *conclus. 1. de commer. & camb. §. 2. gl. 5. num. 347.*

XXIX.

Cum sine actione nemo experiatur, (a) congruè inquirimus: Quenam actio pro Cambii literis concedi aut intentari soleat? Mandati (b) arbitrator.

(a) *l. 6. §. 22. in fin. D. de negot. gest. l. 9. §. 3. D. de administr. & pericul. tut. Cravett. conf. 91. col. 1. Cæf. Contard. in l. diffamari. cap. 4. n. 253. C. de ingen. manumiss. Mænoch. de arbitr. Jud. quest. Gail. lib. 2. obs. 17. nu. 3. Ant. Gabr. lib. 2. concl. 8. de sentent. H. Magon. decis. Lucens. 8. n. 6. 17. & decis. 13. n. 18. Thoming. decis. 29. n. 27. Petr. Frid. Mindan. de process. cap. 5. Pruckm. conf. 8. n. 182. Hartm. Pift. quest. 28. n. 5. & quest. 35. n. 49. lib. 2. Petr. Heig. part. 1. quest. 25. n. 42. in fin. & quest. 38. n. 2. (b) Si enim Titius mandet Mævio Campfori, ut illam pecuniæ summam,*

Sejo

1018.

Sejo solvat, quam in executione dicti mandati sibi Sejus numeravit, procul dubio erit orta obligatio mandati. Nicol. de Passer. d. lib. 3. tit. de lit. camb. quest. 5. n. 2. sive constitutæ pecuniæ, prout declarat Baldus cons. 348. in pr. & in rubr. C. de const. pecun. n. 12. Servit enim constitutum potissimum solutionibus alio in loco faciendis. Matth. Wesenb. ad d. tit. C. de const. pec. num. 52. Ut enim olim inter argentarios, sic maximè inter negotiatores hodiè vel mensularios, & cum his constitutum contrahitur, l. 6. §. 3. versic. sed & quod solvi constituit argentarius edere debet. Nam & hoc ex argentariâ venit, D. de edend. l. 2. D. de const. pec. Nov. 136. de argentar. contract. Wesenb. d. loc. num. 22. Zasius ad §. 8. Inst. de act. & ibid. Schneidewin. nu. 22. Nonnunquam etiam negotiorum gestorum, verbi causâ, si Lucius, cui Cambii literæ non fuerunt directæ, pro honore literarum Caji solvat (velut factitare mercatores consueverunt, quæ consuetudo juris dispositioni, ut alii opinantur, minimè adversatur: cuius enim pro alio etiam invito & ignorante solvere liberum esse tradit Gajus in l. 39. D. de negot. gest.) quâ solutione factâ, contra Sejum rectè negotiorum gestorum acquirit actionem. l. 5. in pr. D. de oblig. & act. Rot. Gen. decis. 6. n. 7. decis. 23. n. 17. & decis. 32. n. 2. vide thes. 24.

XXX.

Istud quasi *cu negotio* quoq; indagare placet: *An procuratori sive institutori generaliter constituto pecunias ad cambium recipiendi facultas tradita censeatur?* N. Mandatum enim & præpositio, quod ad mandati fines attinet, stricti sunt juris, ut alias ad causas sive personas extendi nullatenus possint. c. cum delict. 22. Extr. de rescript. cap. Qui ad agendum 6. in Sext. de Procurat. l. 5. D. mandat. Sebast. Vaud. de nullit. sentent. tit. de nullit. ex defect. & inhabilit. n. 85. & 86. Roland. à Valle. consil. 43. lib. 2. Bald. in l. 1. §. 12. D. de exercit. act. Joseph. Ludovic. part. 1. decis. Perus. 37. n. 5. Matth. Wesenb. ad tit. C. de exercit. act. n. 6. nec procuratoris aut mandatarii contractus extra fines mandati mandantem obliget. l. 12. D. mandat. sive Institutoris extra terminos præpositionis Dominum. l. 11. §. 5. D. de Instit. act. Jason. in l. 3. §. 1. D. Quod quisq; jur. in al. stat. Mynsing. ad §. 1. Instit. Quod cum eo, qui alien. potest. Excipimus tamen ab hac negativâ duos casus, i. si constituens solitus fuerit pecuniam cambio capere.

pere. 2. si ex loci consuetudine ita obtinuerit. His quippe casibus vi taciti mandati ad cambia obligatus Præponens æstimatur, velut de facto consultus respondit Roman. *conf. 114. sub n. 4.* cui adssistit Decius *conf. 441. n. 9. & seqq.* quos noviter allegat sequiturq; Ben. Strach. *tr. de mercat. sub. tit. mandat. n. 19.* Perspicui enim juris est ea semper, quæ de constituentium consuetudine sunt, generali venire mandato. *l. 12. D. de pign. act. l. 13. D. in fin. de usur.* Bartol. *in l. 1. C. de pascuis. lib. 11.* Similiter, quæ sunt de consuetudine loci sive civitatis, textus est *in l. 6. C. de exact. tribut. lib. 10.* Bartol. *in l. ult. D. Quæ in fraud. cred.* Bald. *in l. 1. C. si propter publ. pensit. &c.*

XXXI.

Thesium nostrarum numero colophona imponat, controversia hæc perquam spinosa, quâ de Pragmatici summâ inter se contentione atq; adeò iracundiâ, teste Francisc. Hottom. *l. 3. observ. 3.* decerantur; *An pecunia in usum cambii collata, sive argentario- rum mensis deputata immobilium vicem sustineat?* Communissimum est & verissimum Adfirmantium dogma, eò quod ejusmodi pecunia in rei perpetuò duraturæ usum destinata sit. *arg. l. 17. §. 7. D. de act. empr. l. 35. §. 3. D. de hered. Inst. l. 32. D. de pignor. l. 7. §. 1. D. In quib. caus. tacit. pign. l. 60. D. de verb. signif.* Destinatum quippè habetur pro re perfecta *l. 29. §. 11. D. de aur. & arg. legat.* Bart. *in cap. cum caus. Extr. de re judic.* quem ut scriptorem locupletissimum & copiosissimum sequitur Tiraquell. *de retract. lignar. §. 1. glos. 7. nu. 114.* Ant. Thessaur. *decis. 160. nu. 9.* Gail. *lib. 2. observ. 11. nu. 7.* Rævard. Budel. *de re numar. lib. 1. cap. 1. in fin. & cap. 25. in fin.* Uldar. Zasius *ad l. si certos. 37. D. de Verb. Oblig. Matth. Coler. decis. 286. n. 279.* P. Heig. *part. 2. quest. 15. nu. 8.* Valent. Gul. Forst. *de domin. cap. 8. nu. 56.* Joh. Borchold. *de feud. cap. 6. nu. 13.* ubi pecuniam numulario datam in feudum concedi posse asserit, cui suffragatur Lamb. Diestelmeier, *consuetud. Marchic. part. 4. tit. 25. nu. 6. 7.* Dessectunt à trita Interpp. via & communi Dd. hoc placito Nicol. Boër. *decis. 209. num. 1. 2. & seqq.* Ar. Pinell. *ad l. 1. part. 2. n. 44. 45. & 46. C. de bon. matern.* Henr. Nebelkra. *decis. 11. fol. 39. aliq; complures.*

Hæc sunt, quæ hæctenus ex spatiosissimo cambiorum campo decerpsi lolia; flosculos fragrantiores debebam: sed arcet ab ulteriori

riori

riori ingressu densissimum illud obscurissimorum factorum ac intri-
catissimorum casuum senticetum, quod viridarium hoc quasi muro
obsepfit, non levi scholastici scalpello, sed præacutâ Pragmatici fal-
ce incidendum.

1019.

AUCTARIA.

I.

An Cambium, quo Campsor Principi dat pecunias, quem is ad suscitandas injusti belli flammæ usurum non ignorat, licitum sit & tolerandum? N.

II.

An contra Judeos cambia usuraria exerceri possint? N.

III.

An illud negotiationis sive contractus genus, quod quidam olla ludum; alii fortuna ollam appellant, sit permissum, & ab usura ac fœnoris reprehensionibus immune? Aff.

IV.

An sponsiones (vulgò Wetten) rectè in stipulationem deducantur, & quod sponsionis causa promissum, velut debitum licitè peti queat? Aff.



F 2

IN

Handwritten scribbles and marks in the bottom right corner of the page.



IN HONOREM

Eruditissimi, Præstantissimi, & Politissimi,

DN. NICOLAI

Schaffhausen /

J. U. Candidati, affinis mei dilectissimi, Witebergæ
publicè pro Licentia Doctorali
disputantis.

Quando ad gratandum tibi nunc invitor ho-
norem,

Carminis officium nequeo tibi jure negare,
Quantumvis ratio studiorum haud imperet illud.
Scilicet ut rapidis elephantus obambulat undis,
Quamvis nare nequit, tamen oblectatur eisdem;
Sic firmata licet non sit deducta per artes
Ætas, cum nucibus Musas sed linquere quondam
Compulsus fuerim, tamen haud deponere amo-
rem,

Illarum potui, memori sed pectore verso:
Et puerilis adhuc tantum blanditur avena,
Ut versu pellam curarum nubila sæpe;
Quantumvis vitâ possint aliena videri

Hæc

1020.

Hæc studia à nostrâ, p̄otius cui militat illâ
Ars commercandi, sectari quam quoq; doctos
Nonnullos cerno, & Musas seponere sæpe,
Quid mirum tandem memet componere versus?
Quin tu etiam exemplo peccare videris eodem,
(Peccatum licet hîc non sit, sed gloria major;)
Disceptanda etenim mediâ tibi sumitur ecce
Materia ex mercaturâ, cum non tamen illi
Te dederis, vel cum non CAMBI mutuus usus
Tractatus fuerit tibi; Nam nemo aptius illam
Materiam tractat, quam cui commercia crebra
Cum Mercatorum gente intercedere possint,
Et quos cogatur peregrino quærere sole,
Ipse sit & promptus numeros subducere arenæ.
Adde quod ille locus, quô disceptare parasti,
Nil CAMBI, veluti nunc urbs famosa frequentat
HAMBURGUM, & monstrant sat ab urbe recepta
STATUTA,
Ut Francofurtum, dein Lipsia clara frequentat,
Noricaq; urbs dives Augusta; splendida norunt,
Dantiscum, Amstelrodamum atque Antwerpia
magna,
Londinum, dein Rhotomagum, dein Parisiîq;
Lugdunum, Veneti, Genua & Florentia florens,
Norunt Romani noruntq; Neapolitani,
Hispalis & Lisboa & Madritum quoq; norunt.
Attamen ut tandem mea carminis orsa retexam,

F 3

Cam-

In medio positam palmam, & tibi liberum ubique
Campum (quod res est) credis NICLAE patere
Doctrinae campum, quo plenis currere pergis
Passibus ad THEMIDOS sacratae templa serena,
Ingenii pergis vires tantare politi
Quavis materia, vel quae tibi cunq; probatur.

Ergo SACERDOTI THEMIDOS tibi grator
HONOREM,
Quem tibi fert virtus, mea quem quoq; vota pe-
titum,

Iverunt toties; animus nec forsitan impar
Votis (si mea sic voluissent fata) fuisset.
Meq; dies praesens usum docuisset abunde
Juris, & oracli potuissem me instar habere,
Solutus & ambiguas citius componere lites.
Sed quid ego ambiguas opto componere lites?

* Hic versus
transponi
potest 3991.
6800. ita ut
hinc mille
libri in fo-
lio possint
confici sin-
guli quin-
gentorum
foliorum.

* CUM PROH NIL NUNC, NI FRAUS, NON
SIT LIS MIHI, sed PAX.

ludebam in praedio meo
Osterberg /

Bartholdus Beckmannus.

F I N I S.


1021.

47

4

8






Wittenberg. Diss., 1613/23


ULB Halle
002 673 304


3



V. 17







B.I.G.

Farbkarte #13

iterque vertat
VA,
NIS HUFUS
RALIS

998.
31
3
40

BIIS,

Sechselfriefen /

ATA,

iffimi in Illustri ad Albim,
orum Ordinis,

I D E
simo & Consultissimo,

REUSNERO,

PUBLICO, CURIAE
CABINATUS WITEB.

fs: p. t. RECTORE,
RALI in Utroq, Jure

uenda
ura subjicit
haffshausen / Livonus.

ori d. 15. Augusti,
& pomerid.



THAM, Academ. Typogr.

XXIII.